



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio II. Vtrùm suprema genera Prædicamentorum ita sint primo
diversa, ut in nullo genere superiori conveniant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

bus non ita clare, expresse, & distincte proponuntur diversa genera, ac diversi modi reales efficiendi, & denominandi individuum, & singularem substantiam, quorum perfecta ac distincta cognitione rerum studio vacantes, sapientiæ apicem, & perfectionem consequantur.

Vnde cum potius claritati commodoque scientias adipscentium, quam rigori metaphysico consuluerit Aristoteles, non lydio lapide, sed pingui, ut dicitur, minerva debet hic prædicamentorum numerus examinari, quod oculis vsurpans Philosophus licet in medium protulerit, ut iam dixi, nunquam tamè data opera examinavit; amplectenda igitur est hæc divisio tanquam utilis, & accommodata; quia neque ens ita debet restringi, ut non capiat à vulgo ut ait P. Hurtado; neque ita divagari, ut non possit congruenti methodo circumscribi; vnde bene dividitur ens per varios conceptus intrinsecos, & extrinsecos. Denarius autem universalitatem quandam significat qui recte applicatur enti rebus universis inibibito. Architas Tarentinus insignis Pythagoricus in hanc imaginationem primus incidisse dicitur, quam Aristoteles, & ceteri Philosophi sequuti accuratius differentes de rebus ipsis, quam de prædicamentorum divisione. Fuere autem Pythagorici admodum numerorum observatores; Denarium autem rebus universalissimis ascribent.

41 Secunda congruentia sit, quia omne quod est, vel est ens per se, & nulli alteri inherens, & sic est substantia, vel est alteri inherens, & sic est accidens, & hoc vel inheret ratione materiæ vel ratione formæ, vel ratione totius compositi in materia vel forma; si inheret ratione materiæ hoc potest esse tripliciter, quia vel inheret materiæ solum ab intrinseco, vel solum ab extrinseco, vel partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco; si solum ab intrinseco est quantitas, quia quantitas inest soli materiæ, & solum ab intrinseco, independentem ab omni alio; si autem inest solum ab extrinseco sic est ubi, quod resultat intrinsece in locato, ratione loci extrinseci, & convenit illi ratione quantitatis quam habet, si denique inest partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco ratione etiam materiæ, omne enim quod patitur, patitur ratione materiæ quam habet, & quia inest pallo ratione materiæ quæ est intrinseca, & ab agente quod est extrinsecum, ideo inest partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco, quare ratione materiæ habemus tria prædicamenta, quantitatem, ubi, & passionem. Si secundo inheret ratione formæ, hoc potest adhuc fieri tripliciter, vel enim inest omnino ab intrinseco, & est qualitas, quia qualitas sequitur formam solum, quæ est omnino intrinseca, neque quatenus talis pendet ab extrinseco, si est omnino ab extrinseco est quando, cum sit quasi causatum à tempore, quod est extrinsecum, & illud afficit rem temporalem ratione formæ illius, quæ durat, si est partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco est actio quæ convenit rei ratione formæ, cum vnumquodque agat quatenus est actu quod convenit rei ratione formæ, & inest partim ab intrinseco, quia principium illius est in ipso agente, & partim ab extrinseco, quia terminatur ad aliquod extrinsecum ad effectum nimirum, quare ratione formæ habemus alia tria prædicamenta, qualitatem, quando, & actionem.

42 Si tertio accidens inheret materiæ ratione
R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

totius compositi, eodem modo potest etiam esse tripliciter, id est vel omnino ab intrinseco, vel omnino ab extrinseco, vel partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco; si primum, est relatio, quia hæc non requirit extrinsecum efficiens, quia nascitur talis relatio ab ipso fundamento; si secundum est habitus, quia est denominatum extrinsece. Si est partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco est situs, seu positio quæ causatur ex ordinatione partium in toto, & in comparatione ad locum, partes enim sunt intrinsecæ ipsi toti, & locus est quoddam extrinsecum, atque ita causatur partim ab intrinseco, & partim ab extrinseco, quare ratione totius habemus tria alia prædicamenta, id est relationem, habitum, & situm, & sic sunt decem vnum substantiale, & novem accidentalia: sed hæc ratio, quia congruentia solum est, patitur similiter aliquas difficultates, sed quid mirum, quia omnis congruentia hanc conditionem induit, quia in hoc distinguitur à demonstratione, quod sufficit ut probabiliter numerus prædicamentorum persuadeatur, si quidem non tam evidenti ratione, quam probabilibus argumentis, ex auctoritate petitis innuitur.

Ut autem omnia prædicamenta memoria retineantur, sequentia carmina à Doctores solent tradi, in quibus singulis dictionibus singula prædicamenta suo designantur ordine.

Arbor sex natos fervore refrigerat vltos.

Ruri cras stabo, nec tunicatus ero.

Arbor indicat substantiam; sex indicat quantitatem, natos relationem; Fervore qualitatem; refrigerat actionem; vltos demonstrat passionem; ruri ubi; cras quando; stabo situm; tunicatus habere.



QVÆSTIO II.

*Verum suprema genera prædicamentorum
ita sint primo diversa, ut in nullo
genere superior conveniant.*

SECTIO I.

Sententia Adversariorum ponitur.

PRIMA sententia affirmat, ita P. Suarez in metaphysica, tom. 2. disp. 39. sect. 2. num. 23. ubi sic allerit, nihilominus dicendum est hæc omnia membra sub ente, & accidente distingui ut genera primo diversa, id est, sub nullo superiori genere contenta, neque omnia neque illorum aliqua.

Probat per primo auctoritate Aristotelis 1. Posteriorum, cap. 11. & ideo quasi per antonomasiam vocare solet prædicamenta genera; vnde ca. 9. prædicamentorum, ita concludit; de generibus ergo propositis, ea quæ sunt dicta sufficiant: & Porphyrius cap. de specie, ait in singulis prædicamentis esse species, quæ collocantur sub genere, & sub se non continent nisi individua, & genera, & Damascenus clarissime patrocinatur huic sententiæ in dialect. cap. 39.

Secundo ratione sic probatur, quia in sententia contraria, nulla potest reddi ratio sufficiens illius divisionis

§ § § divisionis

divisionis in decem predicamenta, nisi omnia membra eius sint summa genera; quia predicamentum nihil aliud est, quam debita dispositio, & coordinatio essentialium predicatorum, ex quibus ea quæ in quid predicantur de individuo supra illud in recta linea collocantur ab inferioribus ad superiora ascendendo; hæc autem linea sicut ab infimo, id est, ab individuo incipit, ita non terminatur nisi ad aliquod genus summum, alias nulla sufficiens ratio reddi potest cur in vno genere potius quam in alio terminetur; nec etiam poterit reddi ratio cur cum sint novem genera accidentium, vnum predicamentum substantiæ solum sit ergo.

4 Tercio a priori debet esse ratio, quia modus contractionis vel determinationis entis, aut accidentis ad hæc suprema capita predicamentorum non est per veram compositionem per differentiam quæ possit esse extra rationem generis quam rationem tetigit Aristoteles, *3. metaph. 4.* & eam in superioribus declaravimus.

5 Quarto, quia ens est analogum ad decem predicamenta: sed quod est analogum non est genus: sed supra predicamenta omnia non datur nisi ens; ergo supra predicamenta omnia non datur aliquod genus.

6 Dices accidens esse univocum ad accidentia, sicut substantia ad substantias; ergo saltem circa aliqua predicamenta, & supra ipsa datur aliquod genus.

7 Contra, quia sicut ens est analogum ad substantiam, vel accidens, quia accidens est imperfectius substantia, ita accidens erit analogum, quia accidens modale est imperfectius accidenti reali.

SECTIO II.

Nostri sententia proponitur, & auctoritate probatur.

8 Conclusio: aliquod genus datur commune vel omnibus, vel saltem aliquibus predicamentis; hæc sententia est communis inter doctissimos neotericos, quos ipse Suarez citat, & probatur.

9 Primo auctoritate evidenti Philosophi *lib. 10. metaph. c. 5.* & secundum Divum Thomam *lec. 4.* ubi hæc verba profert: differentia vero, & diversitas aliud, diversum enim a quo est diversum non necesse aliquo esse diversum, omne namque aut est diversum aut idem quodcumque est ens, differens vero ab aliquo, aliquo differens; quare necesse ipsum idem aliquid esse, quo differunt, hoc autem ipsum idem genus, aut species, omne namque differens differt aut genere, aut specie; genere quidem, quorum non est communis materia, nec generatio ad invicem, ut quorumcumque aliqua figura categoriæ, dicitur autem genus secundum quod ambo idem dicuntur secundum substantiam indifferentia; omnia enim differre videntur, nec solum diversa esse, sed quædam differentia sunt genere, quædam in eodem predicamenti ordine sunt locata: sic Aristoteles, supra quæ verba sic ait Divus Thomas in *commentariis illius lectionis*, ostendit in quo differat differentia, & diversitas, dicens quod aliud est differentia, & aliud diversitas, duo enim quorum vnum est diversum ab altero non est ne-

cesse per aliquid esse diversa, possunt enim esse diversa seipsis, & hoc ex predictis patet, quia quodcumque ens alteri comparatum aut est diversum, aut est idem: sed quod est differens ab aliquo oportet quod per aliquid sit differens; unde necesse est ut id quo differentia differunt, sit aliquid, idem in illis, quæ non sic differunt. Hoc autem quod est idem in pluribus, vel est genus, vel est species; unde omne differens differt aut genere, aut specie; genere quidem differunt, quorum non est communis materia, & paulo post, ut sint genere differentia, quæcumque sunt in diversis predicamentis, ut linea, & albedo, quorum vnum non sit ex alio, dicitur autem genus, quod predicatur specie differentibus, sicut de homine, & equo. Sic Divus Thomas, ex quibus evidenter sequitur nostra sententia.

Nam in hoc distinguitur ut patet ex verbis Aristotelis, & Divi Thomæ diversum a differente, quod diversa non diversificantur aliquo eodem, & communi illis, quia se ipsis diversa sunt, hoc enim indicatur illis verbis, diversum enim a quo est diversum, non necesse aliquo esse diversum, possunt enim esse diversa se ipsis ut ens, & nihil; differentia autem semper sunt differentia in aliquo eodem, & communi illis; unde si species siue genere, hoc est, siue habendo idem genus, siue eandem speciem communem illis, & hoc indicatur illis verbis, differens vero ab aliquo, aliquo differens; quare necesse ipsum idem aliquid esse, quo differunt, hoc autem ipsum, idem genus, aut species. Quod amplius explicat Divus Thomas illis verbis, unde necesse est ut id quo differentia differunt, sit aliquid idem in illis; hoc autem quod est idem in pluribus vel est genus, vel species.

Tunc sic: sed ex Aristotele, & ex Divo Thoma, quæ sunt in diversis predicamentis differunt inter se, & non sunt diversa, quod indicatur illis clarissimis verbis, ut sint genere differentia, quæcumque sunt in diversis predicamentis, & ex illis, omnia enim differentia videntur eadem, & non solum diversa entia, sed hæc quidem genere differentia; hæc autem in coelestibus categoriæ, quare in eodem genere, ergo sunt differentia in aliquo illis communi eodemque, in quo conveniant, dum per differentias differant, ut homo, & equus differunt, quia conveniunt in genere animalis, dum differunt per rationale, & irrationale; unde cum res diversorum predicamentorum differunt, debent convenire vel in genere, vel in specie; ergo in genere illis communi, ac eodem ipsis: ergo datur aliquod commune genus multis predicamentis ex Divo Thoma, & ex Philosopho.

Pater autem Suarez respondet cum Alensi ad hunc locum, dicendo quamdam æquivocationem in illis verbis textus admittendam, nam cum Aristoteles ait in aliquo esse idem ea, quæ differunt, sumit differre proprie, cum autem addit, hoc vero idem, aut genus, aut species, est, ait subintelligendum esse hoc idem in quo conveniunt differentia, & differunt diversa genus, aut speciem esse; unde cum subdit Aristoteles omne differre, aut genere, aut specie, differens accipiendum pro diverso quatenus commune est ad differre proprie, & primo diversum: hæc expostio necessaria est considerata confectione Aristotelis ea quæ sub genere convenientiam habent,

hent, non dixisset ea differre genere, quæ non habent communem materiam, nam hæc differentia generica potius consistit in carentia communis generis physici; unde statim potius subdit ea differre specie, quæ conveniunt genere; ergo intelligit genere differre, quæ genere non conveniunt; ergo cum Aristoteles sumit differens, ut illud distinguat in differens genere, & differens specie, sumit differens prout commune est ad diversum, & proprie differens, nam differre genere non est proprie differre, sed esse diversum, quia illud in quo sunt idem, quæ proprie differunt tantum est aut genus aut species; ut enim ipsa verba præferunt differre genere, non significat differre sub genere, sed differre, id est non convenire in genere, sicut differre specie non est differre sub specie, alias individua different specie, quia sub specie individualiter differunt.

¹³ Sed contra, quia hæc interpretatio, si intentum Aristotelis in eo textu consideremus, est absurda, & incredibilis: nam cum ibi (ut ipse Suarez advertit) de vocabulorum differentia tractasset, & propriam significationem, in qua differens à diverso distinguitur assignet, ineptissimum videri posset, ut ea vocis æquivocatione vteretur, sicut v.g. maximum absurdum foret, si ageremus proprie de substantia quatenus discriminatur ab accidenti, & propriam significationem assignaremus, in qua ens per se ab ente per accidens distinguitur; vel si ageremus de Deo quatenus proprie distinguitur à creatura, & statim, & subito extemploque dum de hoc negotio agimus, vteremur æquivocatione, in qua accidens pro substantia, Deum pro creatura in ipso contextu, & accollutia, seu hlo ratiocinationis, & discursus fumeremus; quis enim lumine, ac rationis splendore circumfusis non reprehenderet nos tali modo tractantes, seu ut melius loquar tenebris confusionis doctrinam obtenebrantes, ac confundentes, quomodo enim finem seu scopum in illo contextu à se intentum colligaret Philosophus, si quando ipse vult assignare discrimina quibus differens à diverso distinguitur, statim vtrumque cum differenti videlicet diversum confunderet, certe Penelopsis tela hæc ratiocinatio Aristotelis videretur, quod cum antea tegeretur, postea destrueretur ab ipso.

¹⁴ Deinde, considerata etiam consecutione textus, videtur expositio non solum non necessaria, sed potius absurda, & incongrua menti Aristotelis; nam Aristoteles postquam dixit in hoc distinguere diversum à differenti, quod diversum in nullo convenit, assignat ea in quibus differentia possunt convenire, dicitque esse duo, genus scilicet, aut species, & secundum hæc divisit proprie differens in differens sub genere summo, & hoc vocat absolute sub genere, quod ita est genus ut nunquam sit species, & differens sub genere infimo, aut subalterno, quo simul est species, genus enim subalternum species etiam est, quia genere, & differentia constarin quo distinguitur à genere summo, quod non constat genere, & differentia, ut est ens completum, aut accidens completum absolutum, vel in differens sub specie infima, nam dupliciter potest aliquid differre specie, aut sub specie infima ut Petrus, & Paulus, & huiusmodi differentia habent idem genus animalis, vel sub specie subalterna ut homo, & equus, vel animal, & arbor, sub specie subalterna viventis, & hæc etiam habent idem genus, quod est, vel ipsa species subalterna, quæ quia talis est, & non infima est simul genus, & species.

R. P. Ildph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

cies vivens nimirum, vel aliud genus superius, corpus nimirum aut substantia, quæ idem genus sunt respectu arboris, & animalis, nam corpus est idem genus illorum, & etiam substantia. Ecce textus consecutio, ubi nihil congruens expositioni adversariorum reperitur, & omnia nobis favent, & sic hæc est vera consecutio, seu accollutia illius discursus Aristotelis, & Adversariorum falsa, primo, quia hæc consecutio convenit cum intento Aristotelis quod non habet consecutio tradita ab adversarijs. Nam ipse Suarez ait si solum consideremus intentionem Aristotelis, &c. ineptissimum videri posse, ut ea vocis æquivocatione vteretur Philosophus; nihilominus tamen videtur expositio necessaria considerata consecutione textus; sic ille, unde ipsi fatentur consecutionem à se traditam esse contrariam intentioni Aristotelis, quod manifeste indicat non esse veram consecutionem, nam de nullo non solum sapientissimo, sed nec leviter sapientie coloribus distincto potest præsumi quod proferat talem discursum in quo opponantur discursus consecutio, & intentio ipsius. Alias etiam idem sibi opponeretur; ergo si non debet tam male sentiri de tanto Philosopho, dicendum est fallam esse illam consecutionem, quæ opponitur intentioni discursus, & rectam quæ convenit cum intentione illius: atqui mea convenit cum intento Aristotelis, & adversaria disconvenit; ergo mea est vera, altera autem falsa.

Nec obest illud, quod adducit Suarez, nimirum, nam si genere differentia vocasset Aristoteles, &c. non enim obest, imo nostrum intentum confirmat, recte enim ait Aristoteles, nam ea, quæ absolute differunt, seu sub summo genere nullam habent materiam communem v.g. substantia, & accidens, ubi, & Petrus, & ut Divi Thomæ exemplis utamur linea, & albedo, quia hæc non constituuntur eadem materia essentialiter, ut constituuntur ea, quæ differunt specie, id est, aut sub specie infima, ut Petrus, & Paulus, qui successive possunt eadem materia constitui, ut videre est in Castibus, & ex Brasiliensibus in Iapuijs, qui carne humana vescuntur; unde eadem alimenti materia, manducans, & manducatum constituuntur, vel si non loquamur de his, eadem specie materia constituuntur Petrus, & Paulus; aut sub specie subalterna, ut arbor, & homo, pomum, & Petrus, & eadem numero materia constituuntur, aut eadem specie; & licet aliqua sint, quæ non sub eadem materia, nec specie, nec genere, nec numero differant, ut Angeli, & homines, qui nihilominus differunt sub specie subalterna substantia; attamen cum hoc sit singulare, & plurimum contingat, quæ sub specie differunt conveniant in materia; inde est, quod discrimen tribuatur inter differens genere, & specie, per hoc, quia in plurimum evenit, & contingit; licet in aliquibus contrarium eveniat v.g. ipse Suarez absolute docet substantiam realem esse perfectiorem accidenti; licet aliquid, quod est sub accidenti, ut est gratia, superet substantiam, ut ipse asserit *rom. 2. de gratia*, & res est perfectior modo, licet vni hypothetica excedat equum, aut arborem, quæ sunt res, quia hoc aut raro, aut in raris evenit, contrarium autem in plurimum. Deinde discrimen in hoc fundatur, quod ea, quæ sub genere summo differunt, non habent, nec conveniunt in materia, & hoc semper, & necessario, imo nec possunt convenire; eis autem quæ differunt sub specie non repugnat convenire, imo pene omnia excepto aliquo

§ 5 x conve

conveniunt, unde recte assignatur discrimen, v.g. ut in relationibus, quia in sententia ipsius Suarez, distinguitur relatio transcendentalis à prædicamentali; quod prædicamentalis petit terminum actuale; transcendentalis autem, licet aliquando petat actuale, & ei non repugnet habere actum existentem illum, non tamen petit hoc necessarium ut prædicamentalis; & sic negatur quod Suarez assentit dum dicit: ergo intelligit genere differre ea, &c. usque ad illa verba, nec specie, nec genere.

15 Deinde ad illam probationem, quæ adducitur ab ipso in illis verbis, ut enim ipsa præferunt usque ad ultimum, distinguimus, dicendo differre genere, aut specie ex se, esse indifferentia, ut intelligantur, vel in hoc sensu, non conveniunt in genere, aut specie, vel in hoc distinguuntur sub genere, id est, conveniendo in genere aut sub specie, & sic indiscriminatim iam hoc, iam illo modo auctores utuntur illis verbis; unde ex illis præcisè verbis non debet iudicari, nisi toto contextu scripturæ considerato, ubi utitur genere aut specie differt, nam secundum illud axioma intrinseci, nisi tota lege perspecta, index non debet ius dicere: atqui considerata consequentia vera textus, & Aristotelis, & secundum verba antecedentia genere differre est sub genere differre, nam ipse ait, ut supra adduximus, differens vero (ut distinguitur à diverso de quo ibi loquitur) ab alio aliquo differens, quare necesse ipsum idem aliquid esse, quo differunt, hoc autem ipsum idem genus, aut species, quod explicans Divus Thomas ut dixi, ait unde necesse est, ut id quo differentia differunt, sit aliquid idem in illis: ergo dum genere differunt genus est idem in illis, sed si non convenirent in genere genus non esset idem in illis: ergo in hoc textu genere differre non est non convenire in genere, sed potius convenire sub genere, & sic conveniendo differre per differentias, aut subalternas aut infimas; in quo ait Aristoteles distinguitur diversum à differenti, quia diversa in nullo genere, aut specie conveniunt; unde negatur semel, & iterum, & toto ore, & pectore negatur illud, quod adducit P. Suarez dicendo differre genere non significat differre sub genere: sed differre, id est, non convenire in genere, sicut differre specie non est differre sub specie. Ad illud autem quod adducit, alias individua differre specie, si intelligatur ex consequentia textus differre sub specie, id est, differre per differentias individuas dum conveniunt in specie ut in hoc loco Aristotelis intelligitur concedimus; si autem sonet differre non conveniendo in specie, si loquatur de individuis diversarum specierum, ut de Bucephalo, & Petro est verum, si de Petro, & Paulo negatur.

SECTIO III.

Nostra sententia rationibus demonstratur.

16 Secundo probatur ratione; quia omnia prædicamenta intrinseca, v.g. substantia, quantitas, qualitas, relatio, &c. conveniunt in ratione entis completi intrinseci, sed ens completum intrinsecum est genus: ergo omnia illa prædicamenta conveniunt in aliquo genere. Maior est evidens, quia ea conveniunt in aliqua ratione, quando talis ratio existit in illis, prædicatur de illis sub eodem nomine, & ratione, & participatur

ab illis: sed ratio entis intrinseci completi, sub eodem nomine existit in omnibus prædicamentis completis, &c. prædicatur de illis, & participatur ab ipsis: ergo omnia illa prædicamenta conveniunt in ratione entis intrinseci completi; minor illa sic probatur, quia hæc est vera prædicatio: substantia est ens completum intrinsecum, quantitas est ens intrinsecum completum reale, qualitas, relatio, quando, & ubi, actio, &c. sunt entia intrinseca completa, realia; nam prædicamenta solum fabricantur ex entibus completis realibus, ac proinde ens rationis, & entia incompleta excluduntur à prædicamentis directe, solumque indirecte reducantur ad illa, & in omni latitudine prædicamentorum solum habere est denominatio extrinseca: ergo omnia illa iam annumerata prædicamenta habent in se rationem entis completi intrinseci realis, & prædicatur de illis.

Confirmatur, quia ea conveniunt in aliqua ratione, quæ sunt similia in tali ratione: sed omnia supradicta prædicamenta sunt similia in ratione entis intrinseci completi realis: ergo conveniunt in tali ratione, v.g. ideo Petrus, & Paulus conveniunt in ratione hominis, quia sunt similes in illa ratione, & ideo sunt similes, quia participant prædicatum eiusdem rationis: sed omnia illa prædicamenta ut iam dixi habent in se, & participant rationem entis realis intrinseci, & completi, alias non prædicaretur de illis, quia solum id prædicatur de aliquo quod in ipso existit eo modo quo prædicatur ut de se patet: ergo omnia illa prædicamenta sunt similia in ratione entis realis, &c. ac per consequens conveniunt in illa.

Minor in qua est tota difficultas sic probatur, nam in ente completo intrinseco reperiuntur, & verificantur omnes conditiones necessarie ad constitutionem generis: ergo tale ens completum reale, &c. est genus respectu illorum; consequentia est evidens, antecedens probatur discurrendo per omnes conditiones generis.

19 Prima conditio est ut id quod est genus sit univocum, & hæc convenit sine dubio enti completo, respectu illorum prædicamentorum, quod demonstratur omnibus argumentis, quibus efficacissime probatur à me in metaph. disp. 2. q. 2. 3. 4. & 5. univocatio entis ut sic respectu suorum inferiorum, omnibus enim illis argumentis præsens conclusio aperte convincitur, ad quæ remittimus lectorem, ne iterum actum agamus.

20 Secunda conditio generis est ut non transcendat differentias inferiorum, sed potius sit extra illas: sed ens completum intrinsecum, & reale non transcendit differentias prædicamentorum, de quibus agimus, sed potius est extra rationem differentiarum talium prædicamentorum: ergo ens intrinsecum completum reale est verum genus: maior est evidens ex illo axioma logico, genus est extra rationem differentiarum, ideo enim ens ut sic provt abstrahit à completo, & incompleto non est genus, quia non est extra rationem differentiarum inferiorum; & contra ideo animal est genus respectu hominis, & equi, quia est univocum, & est extra rationem differentiarum, & ideo est extra illas, quia non transcendit differentias hominis, & equi, neque imbibitur in illis: ergo genus non debet transcendere differentias inferiorum, &c.

21 Minor sic demonstratur primo, quia illud prædicatum, quod transcendit aliquod subiectum, &

Quæst. II. Vtrum genera suprema, &c. 509

& imbibitur in illo affirmatur, & prædicatur cum veritate de ipso: sed ens completum reale intrinsecum non prædicatur de differentiis prædicamentorum, neque cum veritate de illis affirmatur: ergo non transcendit illas, neque imbibitur in illis, ac proinde erit extra rationem illarum: maior est evidens, quia ideo in sententia Divi Thomæ (quem sequitur P. Suarez, & reliqui cum quibus pugnamus) prædicatur Deus de relationibus divinis, & divinis attributis, v.g. in his prædicationibus Paternitas est Deus, Filiatio est Deus, sapientia, & misericordia sunt Deus, quia Deus transcendit divinas relationes formaliter, & divina attributa: necneque formaliter imbibitur, & ideo etiam in sententia Patris Suarez, ens ut sic prædicatur formaliter de perfectitate, & inalicitate contra Scotum, quia transcendit illas, & è contra ideo non prædicatur Deus formaliter licet identice prædicetur de divinis relationibus, & attributis in sententia Scoti, & aliorum, quia Deus nec attributa nec relationes transcendit.

22 Ratio autem à priori horum evidens est, quia illud, quod transcendit aliquod subiectum, & imbibitur in illo est idem cum illo formalissime: sed illud quod est idem formalissime cum alio potest formalissime prædicari, & affirmari de illo prædicatione, & propositione vera, ex eo enim quod res est vel non est propositio dicitur vera vel falsa: ergo illud prædicatum quod transcendit differentias, & imbibitur in illis formaliter prædicatur de illis.

23 Minor sic probatur, quia de ente incompleto formaliter, & metaphysice non potest ens completum metaphysice, & formaliter prædicari: sed differentia prædicamentorum non sunt entia completa: sed potius incompleta metaphysice, & formaliter, ideo in sententia P. Suarez differentiarum rerum non ponuntur per se in prædicamento: ergo ens completum, &c. non potest prædicari formaliter, neque propositione, aut prædicatione vera affirmari de differentiis prædicamentorum.

24 Confirmatur, ideo caput prædicamenti substantiæ non prædicatur de differentiis corporis, viventis, animalis, hominis, quia tale caput est substantia completa, & differentia talium prædicamentorum sunt incompleta, & propter eandem rationem substantia completa ut sic non transcendit differentias illorum neque imbibitur in illis: sed differentia prædicamentorum sunt incompleta; ergo ens completum ut sic non transcendit illas, neque imbibitur in illis, ac proinde nullo modo formaliter prædicatur de ipsis.

25 Secundo eadem minor sic demonstratur, quia ubi datur negatio alicuius prædicati non potest imbibere, & intrinsece reperiri tale prædicatum: sed in differentiis prædicamentorum datur negatio entis completi ut sic: ergo ens completum ut sic non potest imbibere, & reperiri in differentiis prædicamentorum; sed quod non reperitur in aliquo, neque imbibitur in illo nullo modo transcendit ipsum, quia definitio transcendentiæ est imbibitio, unde falsissime diceret, qui affirmaret substantiam transcendere ultimas differentias accidentis, quia substantia, neque imbibitur neque reperitur in accidente; ergo ens completum ut sic nullo modo transcendit differentias prædicamentorum; maior est evidens, quia impossibile est, quod sint simul in eodem subiecto affirmatio, & negatio alicuius, duæ enim contradictoriæ

non possunt esse simul in eodem subiecto: sed negatio, & prædicatum, quod negatur per illam negationem sunt affirmatio, & negatio, ac proinde sunt duæ contradictoriæ; ergo ubi est negatio alicuius prædicati, non potest esse prædicatum, cuius negatio est; minor in qua est difficultas sic demonstratur; quia in ente incompleto datur negatio entis completi: sed differentia, ut probatum est, sunt entia incompleta; ergo in ipsis non datur ratio entis completi, ac proinde dabitur negatio entis completi, quod est synonymum illius.

26 Tercio probatur ratione, quia respectu qualitatibus, & quantitatis datur commune prædicatum accidens nimirum completum reale: sed hoc est genus: ergo iam respectu aliquorum saltem prædicamentorum datur aliquod genus commune; maior est evidens, quia qualitas, & quantitas sunt accidentia completa, & de utrisque prædicatur univoce accidens completum, quia est verum dicere quantitas est accidens completum, qualitas est accidens completum; ergo conveniunt in accidenti completo ut sic; minor sic probatur, quia accidens completum est univocum, respectu illorum, & est extra rationem differentiarum; ergo est genus; quod non transcendat, nec imbibatur, sed sit extra differentias. Probatur omnibus rationibus quibus id probavimus ratione superiori de ente completo; Quod autem sit univocum sic patet, quia accidens completum ut sic dicitur rationem communem, & non per habitudinem unius ad aliud: ergo æque respicit utrumque; ergo nulla ibi ratio analogiæ intercedit, imo etiam si quis contendat accidens dici de qualitate, & quantitate non propter rationem communem, nec propter attributionem: sed propter proportionalitatem scilicet, quia sicut quantitas se habet ad suum esse, ita qualitas se habet ad suum; licet sic aliquis opinetur non poterit explicare differentiam inter analogiam in accidente respectu qualitatibus, & quantitatis, & analogiam veram ac propriam, in qua nomen proprius de uno dicitur quam de alio, quia nec quantitas, nec qualitas habent quod sit accidens propter proportionem ad aliam, quia non est maior ratio de una quam de altera: sed utraque absolute est accidens completum per suum esse in quo fundatur quidem illa proportio tanquam relatio quædam, tamen hæc non sufficit ad analogiam, nisi vel sit tam impropria ut non sufficiat ad formalem convenientiam, vel nisi cum convenientia formali, (quæ hic negari non potest ut de se patet) alia habitudo, vel dependentia intercedat, quia similis relatio, vel proportio etiam in univocis reperitur, imo tanto proprior, & exactior, quanto maior est univocatio, nam sicut homo comparatur ad suum animal, ita leo ad suum, & sic de cæteris.

27 Dices in hac collatione accidentis ad quantitatem, & qualitatem, nec univocationem esse: nec analogiam: sed æquivocationem; sumique posset argumentum à sano, quod quamvis analogice dicatur de urina, & medicina respectu animalis, tamen respectu eorum inter se videtur æquivoce dici, quia nec dicitur univoce ut per se constat, cum nihil commune illis significet; neque analogice, quia non dicitur de una per habitudinem ad aliam; sic etiam leo videtur æquivoce dici de Christo, & de Dæmone, quamvis de utroque dicitur analogice per comparisonem ad ani-

mal iugibile, seu ad verum leonem, & videtur illa analogia esse proportionalitatis; quia illa vocis translatio fundata videtur in comparatione Christi, v. g. & leonis ad utriusque fortitudinem, nam sicut leo se habet in suis actibus ad fortitudinem suam, ita Christus ad suam; tamen, quia hæc proportio longe diverso modo consideretur in Christo, & in Dæmone, ideo respectu illorum videtur vox æquivoca: & idem facile est considerare in reliquis metaphoricis translationibus; sic similiter quantitas, & qualitas sunt æquivoca inter se, quia accidens ut sic est analogum ad omnia predicamenta.

28 Sed contra primo, quia hæc obiectio provenit ex falso principio, & supposito, nam vel supponit accidens completum de quo loquimur esse analogum ad quantitatem, qualitatem, & reliqua predicamenta, unde comparatum illud non ad omnia respectu quorum habet illam analogiam: sed solum ad illa membra particularia ad quantitatem scilicet, & qualitatem, cum non possit esse univocum nec analogum propter rationem dictam esse æquivocum: sed totum illud principium, & suppositum est falsum: ergo falsa obiectio; hæc minor sic probatur, nam licet accidens ut sic provt abstrahit a completo, & incompleto; extrinseco, & intrinseco, reali, & modali possit esse analogum respectu novem predicamentorum, hoc est, quia est commune illis, & per prius dicitur de realibus, quam de modalibus, & prius de intrinsecis, quam de extrinsecis: sed nos non loquimur de accidenti ut sic, in tota illa latitudine: sed solum loquimur de accidenti intrinseco reali completo ut sic, quod non est nec potest esse analogum respectu novem predicamentorum: quod evidenter sic patet, nam illud quod non est commune multis, nec participatur ab illis non potest esse analogum respectu illorum: analogia enim supponit inæqualem participationem respectu analogatorum, v. g. animal non potest esse analogum respectu hominis, & arboris, quia arbor non participat rationem animalis, nec animal est ratio communis respectu illius.

Item licet substantia ut sic sit analogia respectu modi, animæ, & Angeli, nihilominus substantia completa realis, non potest esse analogia respectu illorum, quia substantia completa realis non respicit ut ratio superior modum, & substantiam incompletam; unde sicut maximum absurdum foret maximaque ignorantia negare substantiam completam realem, quæ est caput predicamenti, & verum genus respectu Angeli, & corporis, dicendo, quia substantia est analogia ad unionem, angelum, & animam rationalem, quia procederet ex falso principio, nimirum intelligendo substantiam quæ est caput predicamenti esse substantiam ut sic, cum non sit nisi substantia completa realis, quæ sicut non est communis, neque participatur ab illis (cum nec omnia sint entia realia, nec omnia entia completa) non potest esse analogia; ex alio autem capite cum solum immediate a corpore, & spiritu participatur intrinsece, & æqualiter non potest talis substantia non esse univoca; unde qui ita hoc inficias, maxime fallitur; sic similiter qui dixerit non esse univocum accidens completum reale intrinsecum ad qualitatem, & quantitatem, siquidem ab ipsis æqualiter primario sine attributione unius ad aliud & sine dependentia, sed potius

cum maxima æqualitate participatur, quia accidens ut sic sit analogum ad novem predicamenta, vel quia falso supponitur novem predicamenta esse analogia inter se in ordine ad accidens completum reale intrinsecum fallitur absolute, errabitque toto celo, quia nec loquimur de accidenti ut sic, sed de accidenti completo, reali, & intrinseco, quod non est analogum ad novem predicamenta quia non participatur ab illis nec est commune illis, sed solum est commune, & participatur à quantitate, & qualitate, & ab illis proprie, & æqualiter, unde univocum.

Secundo contra, & argumentor ex verbis ipsius P. Suarez, qui alibi ad hanc obiectionem contra se posita labefactandam in nostrum favorem sic efficaciter argumentatur dicendo, sed quidquid sit de aliis analogis impropriis aut metaphoricis, in quibus verum sine dubio est non esse univocationem, respectu extremorum, quæ ex diversis habitudinibus aut proportionibus idem nomen participant, & questio tantum de nomine esse potest, an illa sit dicenda æquivocatio, aut analogia saltem mediata, quod magis videtur habere usum, tamen in presenti hoc dici non potest, primo quia octo saltem predicamenta non possunt esse analogia per proportionem, & metaphoram, aut extrinsecam rationem, ut in exemplo sani ab adversariis adducto patet, nam relatio non est accidens per habitudinem ad qualitatem, nec vbi, &c. (excepto habere) sed per intrinsecum ordinem ad essendum in alio, & in existendum per se essentialem ipsis; unde illud exemplum satis non est ad rem contra nos in presenti casu. Deinde, quia si proportionem aut proportionalitatem hic consideremus non est impropria, & metaphorica, sed cum convenientia intrinseca formali, quæ sufficit ut nomen significet illa omnia sub eadem communi ratione. Si vero sermo sit de attributione, quamvis quantitas, & qualitas diversas habitudines dicant, ab substantiam tamen non denominantur accidentia ab illis habitudinibus ut diversæ sunt, sed solum ut in ratione essendi similes sunt, quapropter accommodatius esset exemplum in sano, v. g. quatenus de multis animalibus dicitur, nam licet sit analogum si ad animal, & ad cætera comparatur, tamen si respectu diversorum animalium sumatur non est analogum sed maxime, & perfecte univocum, quia eadem ratione, & æque primo de illis dicitur, & sicut in eis diversi sunt modi essendi sani, & habendi sanitatem, tamen non sumunt denominationem sani ex illis modis ut diversi sunt, sed solum ut conveniunt in communi ratione habendi sanitatem.

Vergetur amplius, quia adhuc licet sanum ut sic esset analogum, nihilominus sanum, vivens, sensibile non est analogum ad urinam, animal, & medicinam, quia nullum præter animal est sanum, vivens, sensibile, ut est animal: ergo similiter licet accidens ut sic sit analogum, accidens autem completum reale intrinsecum minime. Deinde, nam etiam albedo, & nigredo, v. g. habent diversas habitudines ad substantiam, imo, & substantiæ ipsæ ad Deum, & inter se, v. g. homo, & equus habent diversos modos essendi específicos, & nihilominus ens ut sic, & substantia completa ut sic dicitur univocum respectu illorum, quia ratio entis ut sic, & substantia completa, neque explicat neque requirit illam diversitatem, & ideo illa non obstant, te habet suam unitatem formalem seu obiectivam, quæ si aliunde tollatur habitudo unius ad alteram

ram seu dependentia sufficit ad univocationem, sed hoc totum reperiri potest in aliquibus primis generibus.

30 Neque obstat opponi contra nos quod eadem vox, seu nomen non possit esse analogum, & univocum v.g. accidens.

31 Non enim obstat talis obiectio primo, quia non est contra nos, quia nos non dicimus eandem vocem, seu eandem rationem esse univocam, & analogam simul, sed potius dicimus unam vocem, & rationem esse univocam, v.g. accidens intrinsecum completum respectu qualitatis, quantitatis, &c. & aliam distinctam vocem magis universalem, v.g. accidens esse analogum respectu novem prædicamentorum accidentium, quia habere ex eo quod sit denominatio extrinseca non potest convenire univocæ cum reliquis prædicamentis intrinsecis in ratione accidentis ut de se patet.

32 Secundo, non obstat talis obiectio, nam etiam eadem vox respectu diversorum potest esse univoca, & analogæ, v.g. risus respectu actionis hominis hilaritatem indicantis, & floriditatis prati est analogæ, & eadem ipsa simul respectu risus Petri, Pauli, & Antonij est univoca ratio. Item sanum respectu viri, medicinæ, & animalis est analogum, & respectu animalium præcisè est univocum.

33 Quod patet à fortiori, quia eadem vox potest esse univoca, & æquivoca simul respectu diversorum, v.g. canis respectu latrans, & syderis est vox æquivoca, & præcisè respectu multorum animalium latrantium est univoca.

34 Et ratio est quam optime adducit Pater Suarez, quia quod respectu quorundam significat diversas rationes inquit vel rationem communem cum habitudine, vel ordine, potest respectu aliorum significare rationem eandem, & sine ordine vel habitudine inferiorum inter se, fateor tamen intercedere differentiam, quia in alijs æquivocis, vel analogis nomen non habet analogiam, & univocationem etiam respectu diversorum ex vi eiusdem impositionis, sed ex vna habet univocationem, & ex pluribus analogiam, vel æquivocationem, quia multiplex illa significatio solum in multiplici impositione, vel metaphorica translatione fundatur: at vero ens si vere est analogum ad substantiam, & accidens ex vi unius, & eiusdem impositionis habet utrumque respectum comparatione diversorum, ratio est, quia non significat plura ex vi plurium impositionum, sed ex vi unius rationis obiectivæ in multis inventæ, quæ in quibusdam reperitur cum ordine, & habitudine eorum inter se, in alijs vero sine tali ordine, vel habitudine, ex quibus manifeste colligitur nostra veritas.

SUBSECTIO I.

Alia solutiones refutantur.

35 Respondet P. Rubius ad nostram rationem, dicendo accidens completum esse analogum, & non univocum, & idem dicit de ente completo intrinseco, ad quod probandum hæc verba profert in Logica tractatu de analogia; ut igitur hoc efficaciter probetur, annotanda est doctrina Divi Thomæ 1. p. q. 13. art. 5. ubi de analogis loquens ait nomen analogum duobus mo-

dis significare attributionem unius ad alterum, vel multorum ad unum, & ponit exemplum in sano quod est analogum attributionis respectu medicinæ, & animalis per attributionem unius ad alterum, nam medicina dicitur sana, quia est causa sanitatis animalis, sed idem sanum dicitur analogice respectu viri, & medicinæ, non quia unum horum habeat attributionem ad alterum, sed quia utrumque dicitur tale per attributionem ad tertium: nempe ad animal, virum quidem tanquam signum sanitatis, medicina vero tanquam causa. Ex hac doctrina applicata ad propositum inquit Rubius colligi potest argumentum efficax ad probandum accidens esse analogum, nam utrumque modus attributionis nempe unius ad alterum, vel multorum ad unum efficit nomen analogum.

Sed in accidentibus reperitur secundus modus attributionis: ergo accidens erit analogum attributionis respectu quantitatis, qualitatis, &c. sicut sanum respectu viri, & medicinæ. Probatur consequentia, quia omnia accidentia significantur cum intrinseca habitudine, & attributione ad substantiam; ex quibus sequitur manifeste accidens completum intrinsecum non esse genus, quia genus debet esse univocum.

Sed contra hanc solutionem P. Rubij insurgo primo, quia ex hac ratione sequitur manifeste nullum dari genus, nullamque posse assignari rationem communem univocam respectu inferiorum, sive in substantijs, sive in accidentibus, sed hoc est maximum absurdum; ergo illud ex quo sequitur.

Maiores sic probatur, quia omnia genera aut sunt accidentalia realia creata, aut modalia, aut substantialia creata, dico creata, quia in divinis non admittitur genus, sed in omnibus his datur ratio formalis propter quam negat Rubius accidens completum respectu quantitatis, & qualitatis esse genus, & ratio univocæ ergo propter eandem rationem formalem debet negare omnia illa esse genera, & rationes univocas; unde negabit omne genus: consequentia patet, quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis.

Hæc minor sic probatur, quia ratio formalis quare negat iste auctor accidens esse genus, & univocum, est quia omnia accidentia, quæ continentur sub accidenti ut sic, & ipsum accidens ut sic dicunt ordinem, & attributionem ad substantiam tanquam ad perfectius, & à quo dependent tanquam à principaliori analogato, licet non in ratione accidentis, in ratione tamen entis ut sic, sed similiter accidentia modalia creata dicunt ordinem, & attributionem ad res, ut relatio ad rem relatam, & ubi ad ubi catum, figura ad quantitatem, situs ad corpus, actio ad agens, & hoc maiori dependentia, quam accidens ad substantiam, magis enim dependet modus à re cuius est modus, quam accidens reale à substantia; siquidem saltem divinitus accidens reale potest conservari separatim à substantia, & sine illa, & relatio sine relato, & ubi sine ubi catum, &c. non possunt adhuc de potentia absoluta conservari.

Item maiori perfectione excedit substantia relationem quam substantia intellectum, & quam aqua frigiditatem. Deinde intellectus, qui est qualitas, quantitas, &c. non solum in quantum sunt accidentia, sed in quantum particularia accidentia, quia sunt proprietates, & passionibus substantiarum.

tia, intellectus enim est proprietas substantiae spiritualis, quantitas materiae primae, dicunt ordinem ad substantiam tanquam ad proprium formale principium activum, & passivum, & tanquam ad essentiam cuius possessiones sunt.

41 Tandem substantia creata completa, & omnia inferiora illius, denique omnia praedicamenta, quia creata entia sunt, dicunt maiorem habitudinem, ordinem, & attributionem ad Deum, maiorem dependentiam ab ipso (a quo infinito excessu perfectionis exceduntur) quam modi creati à rebus, quam accidentia à substantia, nam ut ait Divus Thomas loco citato, Deus plus distat à creaturis, quam quaecumque creatura à invicem.

Item haec habitudo, attributio seu dependentia essentialis est in sententia P. Rubij in ordine ad Deum tanquam ad analogatum principalius, si non in ratione entis creati, certe in ratione entis ut sic, quod adeo verum est ut si quaereretur à P. Rubio de qua analogia deberet dubitari, de analogia, & attributione creaturae respectu Dei? an de analogia creaturarum inter se? ut de accidenti respectu substantiae creatae, &c. absque dubio responderet Rubius potius dubitandum esse de attributione, & analogia creaturarum inter se, quam de analogia ipsarum respectu Dei. Et ratio evidens est, quam nuper tetigi, quia maior attributio, maior dependentia, strictior ordo datur creaturae respectu Dei, quam vnius creaturae respectu alterius, &c. ergo si attributio quam dicit accidens completum, & omnia accidentia ad substantiam creatam tollit ab illo, & impedit in ipso rationem generis respectu accidentium sibi subiectorum, à fortiori maior attributio, quae datur inter omnia capita praedicamentorum ad Deum, v.g. substantia completa creata ut sic, quae est genus generalissimum praedicamenti substantiae, quantitas, & qualitas, nullo modo habebunt rationem generis respectu suorum inferiorum, quia talis attributio, dependentia, & ordo ad Deum impedit in illis rationem univocationis cui innititur necessario ratio generis, & sine qua nullo praedicatum potest esse genus; imo nullo inferius poterit esse genus, quia omnia inferiora praedicamentorum dicunt attributionem ad Deum, & dependentiam ab ipso, quae etiam inter se habent habitudinem: ergo nullo dabitur genus, sed frivolum est, & absurdum inauditum negare omnia genera propter solam rationem P. Rubij: ergo etiam erit absurdum propter rationem ipsius negare rationem generis in accidenti reali, completo, intrinseco respectu quantitatis, & qualitatis, &c. neque in ente intrinseco completo reali admittere rationem generis, respectu substantiae, quantitatis, & qualitatis.

42 Secundo, quia omnis analogia attributionis debet esse fundata, ut patet ex principiis ipsius Rubij, in inaequali participatione alicuius rationis omnibus analogatis communis; unde analogia solum reperitur inter significata eiusdem nominis analogi, & non inter significata diversorum nominum, ut patet evidenter ex definitione analogi ut sic (in tota sua communitate, & latitudine sumpti, quatenus distinguitur ab univoco, & equivoco ut sic) quae sic se habet, analogia sunt quorum nomen est commune, ratio vero substantiae partim eadem, partim diversa, itaque quod convenit analogo ut sic ex vi propriae definitionis, ac proinde per se, & primario, est, ut habeat

vnum nomen, & rationem substantiae partim eadem, & partim diversam: sed secundum illud principium logicum, dici de omni, quid quid dicitur de superiori, dicitur de omni contento sub illo: ergo omnibus analogis inferioribus convenit hoc sine exceptione, sicut v.g. quia homini ut sic superiori respectu omnium hominum in particulari convenit risibilitas, omni contento sub illo convenit illa: atqui analogo ut sic convenit habere idem nomen: ergo omni contento convenit sine exceptione, quod adeo verum est, ut id quod analogum est ex eo solum quod alio nomine significetur praeter illud quod significatur cetera analogiam non analogum, sed univocum erit, v.g. substantia sub hoc nomine communis, est analogum in sua sententia ad substantiam completam, & incompletam; si autem mutato nomine dicamus substantiam completam, non est analogum sed univocum, quia tali nomine non comprehenduntur substantiae incompletae, quae analogata minus principalia sunt, sed solum substantiae completae, quae aequaliter participant rationem substantiae completae ut sic: ergo ad omnem analogiam requiritur necessario ut analogata habeant idem nomen.

Vnde Divus Thomas citatus à Rubio ibidem 43 duplicem illum modum analogiae seu attributionis assignat, inter significata eiusdem nominis sani, nempe animal vrinam, & medicinam; haec sunt verba Divi Thomae in medio corporis articulo citati à Rubio secundum analogiam, id est proportionem, quod quidem dupliciter contingit in nominibus, vel quia multa habent proportionem ad vnum, sicut sanum dicitur de medicina, & vrina in quantum utrumque habet ordinem, & proportionem ad sanitatem animalis, cuius hoc quidem signum est, illud vero causa, vel ex eo quod vnum habet proportionem ad alterum, sicut sanum dicitur de medicina, & animali in quantum medicina est causa sanitatis, quae est in animali, & paulo post ait, & iste modus communis medius est inter puram equivocationem, & simpliciter univocationem, neque enim in his quae analogice dicuntur est una ratio, sicut est in univocis, nec totaliter diversa sicut inaequivocis; sed nomen quod sic multipliciter dicitur significat diversas proportionem ad aliquid vnum, sicut sanum de vrina dictum significat signum sanitatis animalis, de medicina vero dictum significat causam eiusdem sanitatis. Ecce verba Divi Thomae, quibus loquens de omni analogia utitur vno nomine, quod significat, & principale analogatum, & minus principalia, ita ut si non sit idem nomen respectu omnium analogatorum non erit analogia; unde si analogata minus principalia diversis nominibus significantur à nomine quo significatur magis principale analogatum, etiam si minus principalia analogata cum habitudine, ordine, seu attributione ad principale analogatum sustentantur, nulla dabitur analogia inter illa, cuius argumentum evidens est, quod Divus Thomas ponit exemplum vtriusque, & omnium analogorum in sano, quod sive in vna, sive in altera analogia consideretur, comprehendit tam analogatum principale, quam minus principalia, nam in analogia attributionis multorum ad vnum etiam illud vnum significatur eodem nomine quo illa, quae ad ipsum attribuuntur simul etiam significatur.

Verbi gratia, ideo sanum est analogum attributionis 44

butionis respectu vrinæ & medicinæ, quia ambæ simul dicunt ordinem, & attributionem ad animal, quod est principalis analogatum significatum eodem nomine quo appellantur vrinæ, & medicina, siquidem omnia illa sani nomine significantur.

45. Quod patet evidenter, nam si medicina, & vrinæ attribuuntur ad hominem non vt sanum, seu vt sanabilem: sed potius ad ipsum vt animal rationale, non respiciendo illum vt sanabilem: sed vt sapientem, aut vt beatificabilem non erit analogum attributionis, quia non sunt sub eodem nomine, nec sub eadem aliquo modo ratione: sed potius sub diversis; medicamentum, & vrinæ sub nomine sani, homo sub nomine sapientis, &c.

46. Urgetur, quia non minus dicit medicamentum attributionem ad animal sanandum sub nomine medicamenti, quam sub nomine sani, nam medicamentum essentialiter vt tale respicit vt causā sanitatem animalis, & sub hoc nomine non est analogum, de quo nulla alia ratio potest tribui, nisi quia nomen medicamentum non est commune homini, & ipsi medicamentum, eo modo quo sanum est commune utrique, & idem est in analogia in qua vnum dicit attributionem ad alterum.

47. Vnde pro certo habendum est in quacumque analogia analogata omnia tam principalia quam minus principalia debere significari vno eodemque nomine: atqui nomine accidentis intrinseci realis completi non significatur substantia quæ est analogatum magis principale: sed solum accidentia quæ minus principalia analogata sunt: ergo accidens completum, &c. non est analogum sed potius vniuocum ad quantitatem, & qualitatem, licet quantitas, & qualitas dicant attributionem ad substantiam.

48. Neque obstat id quod ultimo addit Rubius, dicendo quod duplex assignatur analogia, alia attributionis multorum ad vnum, alia vnius ad alterum; ita vt si in vtraque sanum sit commune ad omnia analogata non duplex, sed vna analogia erit contra textum Divi Thomæ.

49. Sed hoc inquam non obstat. Quia vt diximus in vtraque analogia, seu in vtraque attributione debet esse nomen commune, quod convenit illis non ratione differentiarum: sed ratione prædicati communis, & superioris; vnde in hac ratione non differunt: sed potius conveniunt, differunt autem ratione differentiarum particularium, quæ assignantur à Divo Thoma loco supra citato, ubi apertam differentiam inter vtramque assignat etiam si conveniant in hoc quod est habere idem nomen.

SVBSECTIO II.

Placita aliorum Doctorum oppugnantur.

50. Pater Franciscus Suarez 2. tomo metaph. disp. 39. sect. 3. num. 17. hanc rationem tribuit vt accidens abstractum à quantitate, & qualitate non sit genus, quia nullus inquit conceptus potest abstrahi à rebus diversorum prædicamentorum, ita vniuocum respectu aliquorum, quin aliqua ex parte includat analogiam respectu aliorum, vel transcendentiam repugnantem rationi generis; vt si accidens intrinsece afficiens sumatur vt quid commune ad entitatem, & modum accidentalem, licet secundum eam rationem possit habere vniuocationem, tamen vt sic multa sub se comprehendit, quæ in nullo prædicamento directe collocantur, v. g. modum inhærentiæ, qui per se se intrinsece afficit tum formam inhærentem, tum etiam subiectum cui inhæret, & quamvis sub tali ratione sit incompletum, accedens tamen absolute, & in latitudine entis, fortasse non est magis diminutum ens, quam modus vbiuationis aut passionis quæ propria prædicamenta cōstituunt. Quo fit vt de eiusmodi conceptu accidentis, vere dicatur, non posse ita abstrahi vt sit communis ad sola accidentia completa, id est, quæ directe in prædicamentis accidentium collocantur; ideoque non posse esse genus, neque habere differentias extra sui rationem, neque omni carere analogia.

Rursum si accidens sumatur pro entitate propria, & forma accidentali, sic solum videtur quidam conceptus compositus, ex duobus simplicibus conceptibus analogis, nam conceptus formæ vt sic analogus est ad formam substantialem, & accidentalem; ille vero modus qui additur, cum dicitur accidentalis, non potest esse ita determinatus, & proprius aliquorum accidentium, quin ex se communis sit omnibus, nam omnia habent accidentalem modum afficiendi; illa ergo convenientia quasi transcendentalis est, ideoque non potest constituere conceptum genericum, etiam si alias sit vniuocum respectu aliorum, vel etiam si ex coniunctione plurium conceptuum analogorum sumatur vt proprius seu determinetur ad talia significata. Ratio vero à priori esse videtur, quia hæc genera summa habent primariam quandam diversitatem in modo afficiendi, quod maxime notum apparet in quantitate, & qualitate, & ideo nulla est convenientia inter eas secundum proprias rationes earum: sed solum in ratione accedendi (vt sic dicam) quod ex se commune est alijs. Plus ergo requiritur ad rationem generis, quam ad rationem vniuoci prædicati, etiam in quid; nam ad vniuocationem sufficit propria, & vniuersalis, seu immediata habitudo ad plura secundum eandem rationem; ad genus autem ultra hoc necessarium est vt nec transcendentiam habeat in formali ratione sua, neque analogiam respectu aliquorum, quod etiam ad rationem proprii vniuersalis necessarium est, sic ille.

Sed contra, & imprimis P. Suarez non solvit 2. difficultatem nostri argumenti, quia nos in eo non loquimur de accidenti vt sic, nec de forma intrinseca accidentali sub hac vniuersalitate, iam enim scimus huiusmodi prædicata superiora non posse esse genera, quia transcendent differentias inferiorum ad quæ comparantur, solum enim loquimur in nostro argumento de ratione accidentali, vera completa, & intrinseca respectu quantitatis, & qualitatis, &c. quæ sine dubio vniuoca est, quia quantitas sine attributione ad quantitatem est accidens reale completum intrinsecum, & qualitas etiam sine attributione ad quantitatem est similiter accidens intrinsecum completum reale, imo perfectior quantitate ratione differentiarum, & ratione prædicati superioris æqualiter conveniunt, & æqualiter illam participant: ergo nulla analogia reperitur inter quantitatem, & qualitatem in ratione accidentis completi intrinseci.

T r t Deinde

53 Deinde certissimum est præcipue in sententia P. Suarez accidens completum non posse transcendere differentias quantitatis, & qualitatis, quia tales differentiae sunt incompletæ, sicut sunt incompletæ etiam differentiae substantiarum: ergo si ipse Suarez ait ad genus solum necessarium esse, ut nec transcendentiam habeat, neque analogiam respectu inferiorum, accidens intrinsecum completum reale, sine dubio erit genus respectu quantitatis, & qualitatis, cum respectu illarum, nec sit transcendens, neque analogum.

54 Vnde fallitur sine dubio, dicendo in principio suæ responsionis nullum conceptum posse abstrahi à rebus diversorum prædicamentorum univocum, &c. quia quidquid non est æquivocum neque analogum, & est prædicatum superius necessario est univocum, quia adæquate dividitur terminus superior, vel quasi superior in æquivocum, analogum, & univocum, ut ex Summulis patet: sed accidens completum reale intrinsecum non est æquivocum ut de se patet, quia quando prædicatur de inferioribus accidens completum, &c. non solum nomen, sed etiam ratio communis prædicatur, neque est analogum, quia non est partim idem, & partim diversum: sed potius omnino idem respectu quantitatis, & qualitatis, à quibus æqualiter participatur sine attributione unius ad aliam: ergo est univocum, & ex alio capite non imbibitur in ultimis differentijs: ergo est genus.

55 Deinde falsum est dicere accidens completum reale simpliciter comprehendere illa, quæ in nullo prædicamento directe collocantur, v. g. modum inhærentiæ, ita ut de illis prædicetur, & in ipsis imbibatur, quia inhærentia, v. g. nullo modo est accidens completum, ut asserit ipse P. Suarez *disp. 32. sect. 1. num. 17.* agendo de modis completis, his verbis, nam actualis inhærentia est incompleta, quia intrinsece pertinet ad constitutionem rei, & ad exercendum formalem effectum accidentis; ergo licet de illa possit prædicari accidens ut sic, nullo modo poterit prædicari de ipsa accidens completum; unde licet accidens ut sic transcendat differentias, accidens completum non transcendet illas, ac proinde licet illud non sit genus, hoc poterit esse genus respectu quantitatis, & qualitatis.

56 De quo conceptu accidentis nimirum completi interrogo à P. Suarez respectu quorum habeat analogiam, non respectu quantitatis, & qualitatis, ut iam probavimus, non respectu cæterorum prædicamentorum, quia accidens simpliciter reale completum nullo modo participatur ab illis, quia reliqua prædicamenta non sunt accidentiæ realia simpliciter, sed potius sunt modi reales: atqui id quod est analogum debet esse tale respectu suorum inferiorum, quæ participant illud, & de quibus analogum prædicatur non solum quoad nomen; sed etiam quoad rem, ut videre est in ente ut sic, quod est analogum in sententia patris Suarez respectu Dei, & creaturarum, ex eo quod est superius respectu omnium illorum, vere participatur ab illis, cum inæqualitate tamen, & cum eadem inæqualitate de eis vere prædicatur; unde si ens ut sic nullo modo prædicaretur de creaturis, sed solum de Deo, nullo modo esset analogum proprium, sicut substantia non est analogum respectu primi, & reliquorum prædicamentorum, quia nullo modo

participatur à reliquis prædicamentis, ex eo quod reliqua prædicamenta distincta à primo non sunt substantia.

Sed accidens completum reale simpliciter nullo modo participatur à reliquis prædicamentis præter quantitatem, & qualitatem, neque est commune illis, sed solum quantitati, & qualitati: ergo accidens completum reale simpliciter intrinsecum nullam habet analogiam, neque respectu quantitatis, & qualitatis, ut dixi, neque respectu illarum, & cæterorum prædicamentorum, ut nuper probavi: sed potius habet summam univocationem respectu secundi, & tertij prædicamenti sine ulla transcendentia indifferentijs illorum, ut satis clare demonstratum manet: ergo falsum est dicere univocaliter nullum conceptum posse abstrahi à rebus diversorum prædicamentorum, ita univocum respectu aliorum, quin aliqua ex parte includat analogiam respectu aliorum, vel transcendentiam repugnantem ratione generis.

Sed supponamus per impossibile accidens 58 completum reale simpliciter habere analogiam respectu aliorum à quantitate, & qualitate distinctorum, certe hoc nullo modo potest tollere univocationem respectu quantitatis, & qualitatis, quam doctrinam multis in locis aperte tradidit P. Suarez, & multis exemplis demonstrat, quibus supra vti sumus contra Rubium, inter quæ maxime elucet illud de persona ut sic, quæ in sententia P. Suarez est analogum respectu divinarum personarum, & creaturarum, & nihilominus est univocum prædicatum respectu divinarum personarum; ergo licet accidens completum esset analogum respectu quantitatis, qualitatis, & cæterorum prædicamentorum, nihilominus hoc non posset tollere univocationem illius si solum comparatur cum quantitate, & qualitate.

Ex quo amplius colligo, quod si per impossibile 59 transcederet alia, dum tamen non transcederet qualitatem, & quantitatem non posset tollere rationem generis ab accidenti completo, &c. qualitatis, & quantitatis, licet tollat ab eo rationem generis respectu reliquorum, quia licet respectu reliquorum non sit univocum: sed potius sit analogum, & transcendens, respectu tamen quantitatis, & qualitatis, neque est analogum, nec transcendens: sed potius univocum: ergo genus, quia illud est genus quod est univocum, & est extra rationem differentiarum. Exemplo evidentissimo demonstratur hoc, nam substantia completa ut sic est vere genus respectu Angeli, & hominis, & nihilominus in sententia P. Suarez est analogum respectu hominis, Angeli, & Dei; item transcendit ultimas differentias Dei, quia quæcumque differentia Dei est substantia completa propter summam perfectionem, & simplicitatem Dei. Tota ratio huius est, quia licet sit analogum si comparatur cum Deo, & creaturis, & transcendat differentias Dei, nihilominus comparata substantia completa solum cum Angelo, & homine, neque est analogia, nec transcendens: sed potius univoca simpliciter.

Ratio autem à priori horum est, quia conceptus 60 generis non est absolutus, sed relativus, ac proinde potest respectu unius prædicamenti esse superius non esse genus, & respectu aliorum esse genus, nam subiecta passim induunt diversas denominationes respectivas respectu diversorum.

Quaest. II. Vtrum genera suprema, &c. 515

ut videre est in albedine, quæ eadem ipsa est similis respectu alterius albedinis, & est dissimilis respectu nigredinis formaliter, & calor est oppositus formaliter respectu frigiditatis, & non est oppositus, aut respectu quantitatis, aut respectu alterius caloris: clarius animal ut sic est vere, & proprie genus respectu hominis, & equi, & nihilominus respectu arboris non est genus, quia deficit conditio generis respectu arboris, quæ non deficit respectu hominis, & equi; ergo respectu aliquorum potest dari conditio ad genus completa, & totalis, quæ deficiat respectu aliorum, & sic, quando concurrunt omnes conditiones ad genus respectu aliquorum, etiam si respectu aliorum non concurrant potest esse genus respectu horum, & non genus respectu aliorum, sicut vivens ut sic est genus respectu animalis, & plantæ, quia concurrunt conditiones necessariae ad genus respectu illarum, & nihilominus non est genus respectu substantiæ ut sic, quia vivens respectu substantiæ non est superius, &c. quæ requiruntur ad rationem generis, & reperiuntur in eodem viventi comparato cum planta, & animali.

61 Sed in accidenti completo reali simpliciter concurrunt omnia necessaria, & requisita simpliciter ad genus respectu quantitatis, & qualitatis videlicet superioritas non solum in nomine, sed etiam in ratione completa accidentis, univocatio, nulla analogia, neque transcendencia, quæ deficiunt respectu reliquorum: ergo vere, & proprie erit genus respectu quantitatis, & qualitatis, licet non sit vere genus respectu aliorum in ordine ad quæ deficiunt aut aliqua aut omnes conditiones necessariae requisitæ ad rationem generis.

62 Præterea, ea quæ in §. *sumus si accidens*, adducit hic Auctor, licet in exemplo à se adducto, quod non est contra nos veritatem habeant, nihilominus in univocali falsificantur, multis enim conceptibus simplicibus diversim analogis significamus simpliciter rem simplicem univocam, & verum genus, cum ob defectum verborum simplici modo non possumus significare, v.g. caput prædicamenti substantiæ est simplex, & verum genus respectu corporis, & spiritus, & nihilominus illud significamus dicendo est substantia creata completa, nam substantia est analogum ad Deum, & creaturam, ad completam, & incompletam in tua sententia. Deinde illa particula creata, etiam secundum se potest esse analoga ad substantiam, & accidens, & modos creatos. Denique illa particula completa, est analoga ad divinitatem, & naturam humanam, & angelicam, & nihilominus quia illis particulis simul sumptis volumus significare rem simplicem univocam, & extra rationem differentiarum, ideo est verum genus: ergo similiter licet multis conceptibus diversim analogis significemus rem in nostro casu dicendo accidens reale completum, & intrinsecum, nihilominus cum per illos conceptus simul sumptos velimus significare, & explicare rem simplicem univocam existentem extra rationem differentiarum, quia est completa, & differentia incompleta, sine dubio erit verum genus ad quantitatem, & qualitatem.

63 Tandem in ratione quam Pater Suarez in calce responsionis adducit, datur manifesta petitio principij, nam in hac quaestione, & in titulo illius quærimus vtrum prædicamenta ita sint primo diversa ut conveniant in aliqua ratione generica, & Suarez ait, ratio vero à priori est, quia hæc genera summa habent primariam, quandam diversitatem. R. P. *Ideph. de Penafiel. Theol. Schol. Tom. I.*

ratem, & ideo nulla est convenientia inter ea. Ecce quomodo tribuit pro ratione dubitationis, & conclusionis conclusionem ipsam, & idè ipsum quod dubitatur, & quæritur, ac proinde comittit evidentem petitionem principij, v.g. si quæramus vtrum relatio distinguatur ut modus à re à suo fundamento, & quidam diceret distinguitur, & ratio à priori est, quia est modus distinctus à fundamento, ibi daretur petitio principij: ergo similiter in nostro casu.

SVBSECTIO III.

Tabellus, & Ferrara refutantur.

64 **I**abellus aliam rationem tribuit ut accidens non possit esse genus, quia non habet differentias extra sui rationem, nam omnis modus quo potest accidens determinari ad quantitatem, qualitatem, & similia, est etiam accidens, est autem de ratione generis ut sit extra rationem differentiarum, idest ut secundum præcisos conceptus in eis non includatur, nec per se de illis dicatur.

65 Hinc vero rationem impugnatur Ferrarientis I. contra genus, cap. 32. dicens, recte quidem consequi, si prædicatum sit ita commune ut non habeat differentias extra sui rationem, non esse genus, ut Aristoteles plane docet, tamen proximam huius rei causam esse, quia tale prædicatum non potest esse univocum, nam si esset univocum haberet differentias, de quarum intellectu non esset. Quia esse extra conceptum differentiarum non est de prima, & essentiali ratione generis, nam illa solum est negatio quædam, ratio autem generis positiva est; est ergo illa negatio concomitans, aut necessario consequens rationem generis, & ideo à posteriori recte infertur id quod non habet illam conditionem non esse genus, multo vero melius sequitur à priori, quidquid habet positivam rationem generis habere etiam conditionem illam, & ideo repugnat dicere, aliquid esse univocum, & prædicari in quid de multis essentialiter diversis, & non habere differentias extra sui rationem, quia hoc est dicere aliquid habere completam rationem generis positivam, & non proprietatem negativam per se consequentem talem rationem. Et confirmatur, nam omne univocum dicit formam unam ab inferioribus abstrahibilem, quæ in plura essentialiter dividitur; ergo vel per differentias proprie sumptas, de quarum intellectu non sit, & habetur intentum, vel per diversos modos essendi, & hoc repugnat, quia duæ species qualitatis, v.g. sunt quidditative accidentia, & tamen conveniunt in eodem modo essendi.

66 Sed contra, quia licet male Tabellus erraverit, peius tamen Ferrarientis erravit, unde novissimus huius error est peior priori Tabelli; deceptio enim Tabelli patet ex impugnationibus factis contra P. Suarez de ente completo, & de accidenti completo, quæ non transcendent differentias, ac proinde nihil illis deest ad rationem generis, quia autem supradictis argumentis satis manet oppugnata, hæc sententia in præsentia illi supercedo, ne iterum actum agamus.

67 Contra Ferrarientem autem efficacissime procedunt, & sine dubio sententiam eius manifeste labefaciunt omnia argumenta, quibus vsi sumus in *metaph. disp. 2. præcipue quaest. 2. & 3.* ad probandum transcendentiam non tollere univocationem, &

T t t 2 ideo

ideo ens esse univocum licet transcendat ultimas differentias quibus nihil addendum occurrat: ergo falsa est sententia Ferrarientis.

Deinde cum P. Suarez assero obiectionem Ferraræ non esse magni momenti, nam quod genus debeat esse natura ita limitata, ut possit præscindi à differentiis, quibus contrahitur in eisque non imbibatur, aut eas non transcendat per se, primo pertinet ad rationem generis, ut ex Aristotele 3. metaph. tex. 10. & Topycorum ca. 6. loco 64. & 71. constat, quam doctrinam medullitus amplexus est Divus Thomas innumeris suæ doctrinæ locis, v. g. opusculo de natura generis, opusculo de decem predicamentis, & opusculo 48. de predicabilibus, & in lib. de ente, & essentia. Nec refert quod illa proprietas, per negationem declaretur, nam per illam negationem circumscribitur positiva proprietas; & conditio naturæ genericæ, quod nimirum sit natura ita limitata, & præcisa, ut sit apta ad componendum metaphysice cum differentia specificam naturam, hoc autem non tantum concomitanter, & consequutive: sed essentialiter convenit generi, ut genus est, quod pater, quia speciei essentialiter est componi ex genere, & differentia: sed genus essentialiter respicit speciem: ergo de essentia generis est aptitudo ad componendam speciem, in hac autem aptitudine essentialiter includitur, quod sit natura secundum rationem præcisa à differentia, sicut è contrario de ratione differentia est, ut secundum rationem sit præcisa à genere, nam comparantur hæc duo ut actus, & potentia metaphysica; unde etiam potest sumi proportionale argumentum; nam de ratione materiæ primæ est quod sit entitas distincta à forma, quæ distinctio licet sit negatio, per eam tamen indicatur limitatio, & potentialitas materiæ, quæ necessaria illi est ut possit esse essentialis pars physica apta ad componendum totum per modum potentia; ergo proportionali ratione est de ratione generis ut metaphysice sit extra rationem differentia.

Quapropter, negandum est integram rationem quidditativam generis in hoc contineri, quod sit prædicatum univocum, & in quid, & commune ad plura essentialiter diversa nisi sit determinata naturæ quæ possit habere differentias extra sui rationem. Quæ particula satis insinuat in ratione generis cum dicitur esse id, quod prædicatur in quid de pluribus differentibus specie, quia species ad quam genus dicit relationem per propriam differentiam additam generi constituitur.

Unde licet admittatur accidens ut sic, prout abstrahit à completo, & incompleto esse univocum, & prædicari in quid cum prædicetur ut quidditas, negandum erit prædicari proprie de pluribus differentibus genere; quid genera suprema non sunt species, etiam si habeant commune prædicatum univocum, si illud sit transcendens respectu illorum; unde illud non poterit esse genus, quia genus debet esse extra rationem differentiarum ut dictum est.

Sed licet accidenti ut sic in tota illa universalitate non conveniat esse extra rationem differentiarum, nihilominus accidenti completo ut sic sine dubio convenit esse extra rationem differentiarum, quia revera accidens completum non includitur intrinsece in conceptu accidentis incompleti, omnis autem differentia accidentis est ac-

cidens incompletum. Deinde, quia alias non possent assignari genera suprema in singulis predicamentis accidentium, quia non potest quantitas contrahi nisi per differentiam, quæ sit quantitas incompleta, & sic de alijs.

Responderi potest in ratione accidentis nihil esse incompletum, quia ratio accidentis imperfecta valde est, & talis ut integre, ac complete servetur in quolibet minimo accidente, etiam si sub inferioribus rationibus accidentium incompletum quid censeatur, ut v. g. punctum incompletum quid est in ratione quantitatis; at vero in ratione accidentis est completum accidens, quia tam vere inest, quam quolibet accidens perfectum.

Sed hæc responsio multis scaturit difficultatibus, nam in omnium sententia accidens dividitur in completum, & incompletum, & ex completis directe, & primario componuntur prædicamenta, quia rationes incompletæ, non primario, & directe: sed potius indirecte, & secundario pertinent ad illa, quo supposito vix potest reddi sufficiens ratio cur illa duo membra locum habeant, in quolibet prædicamento accidentis, & non in accidente ut sic.

Neque etiam videtur posse negari quin formæ integræ, v. g. quantitatis, & qualitatis habeant inter se aliquam convenientiam realem, quam non habent cum suis differentiis constituentibus vel contrahentibus, quia differentia præcise ac formaliter sumptæ non sunt proprie formæ, sicut in formis substantialibus datur convenientia in ratione communi formæ substantialis, & non convenit differentiis, quibus communis conceptus substantialis formæ contrahitur ad hanc vel illam speciem substantialis formæ; & illo cōceptu qui directe communis est ad formas substantiales dici potest concipi formam substantialis completam in communi, qui conceptus non est dubium quin habeat differentias extra sui rationem; ergo pari ratione argumentari possumus in formis accidentalibus.

Impossibile ergo est admitti univocationem accidentis rationem reddere, cur non possit abstrahi aliquis conceptus accidentis genericus ad aliqua prædicamenta accidentium, ac propterea alij ut hanc difficultatem fugiant univocationem negant, & æqualem convenientiam: Et concedunt analogiam.

Sed contra hos sic argumentor. Quia duplex est analogia in vestra sententia; alia intrinseca ut est illa, quæ reperitur in ente respectu Dei, & creaturarum, accidentis, & substantiæ: alia est analogia rationis, quæ intrinsece est in vno, & extrinsece in alio, ut v. g. risus, aliter solet hæc divisio fieri, dum dividitur analogia in analogiam attributionis, & analogiam proportionalitatis; præter has autem nulla alia datur per vos: sed accidens completum respectu quantitatis, & qualitatis neque est analogum attributionis, nec proportionalitatis; ergo nullo modo est analogum: minor de analogia attributionis pater; quia tunc datur analogia attributionis inter aliqua, quando perfectius, ex parte sua participatur ratio superior ab uno inferiori, quam ab altero, ita ut imperfectius participans cum attributione ad aliud participet illam: sed accidens completum æquale liter ex parte sui participatur à qualitate, & à quantitate, neque vlla datur attributio quantitatis ad qualitatem, neque huius ad illam.

in ista participatione vt de se patet; ergo.

76 Vrgetur, quia licet qualitas dicat ordinem ad quantitatem, quia media illa inheret substantiae, nihilominus hic ordo non exigitur ab omni qualitate: siquidem intellectus, voluntas, & reliqua accidentia spiritualia, & supernaturalia veræ qualitates sunt, & nihilominus nullum ordinem dicunt ad quantitatem, & sic minimum inter has, & quantitatem non dabitur analogia.

77 Imo de qualitatibus corporeis negant multi habere talem ordinem ad quantitatem, ex eo quod non subiectentur media quantitate, sed immediate in substantia, vt videre est in P. Hurtado, sed supponendo qualitatem corpoream dicere ordinem ad quantitatem tamquam ad subiectum immediatum, nego talem ordinem sufficere ad causandam analogiam inter quantitatem, & qualitatem; alias inter habitus, species impressas, expressas, & intellectum daretur analogia; item inter formam substantialem (vt est anima rationalis) & materiam primam daretur analogia, quod nullus vnquam dixit; ergo similiter propter talem ordinem nulla dabitur analogia qualitatis ad quantitatem.

78 Imo si posset dubitari de analogia inæqualitatis potius ponenda esset ex parte quantitatis ad qualitatem, quam e contra, quia quantitas imperfectior omnino est qualitate, & nihilominus, quia talis imperfectio est physica inæqualitatis ratione differentiarum, vel ex parte illarum nullus vnquam Doctorum dixit, quantitatem habere talem attributionem inæqualitatis in participatione accidentis respectu qualitatis, vt causet analogiam dictam; ergo à fortiori neganda est talis analogia, & attributio qualitatis ad quantitatem; & sic non datur analogia attributionis in accidente completo respectu quantitatis, & qualitatis.

79 Quod autem non detur analogia proportionalitatis inter quantitatem, & qualitatem evidentius patet, quia accidens completum vt sic nullomodo est intrinsece, & per metaphoram in quantitate aut qualitate, sed potius tam intrinsece vere, & proprie existit in quantitate, ac in qualitate: ergo nulla datur analogia proportionalitatis inter illa.

80 Ergo datur vnivocatio. Quod patet sic, quia qualitas vt sic prædicatur vnivocè de intellectu, voluntate, & cæteris inferioribus suis, quia æqualiter participatur ab illis, sed etiam accidens completum vt sic æqualiter participatur à qualitate, & quantitate, & sine analogia vt iam probavimus; ergo est vnivocum respectu illarum.

81 Quod enim quidam aiunt dici prius de quantitate, quam de qualitate falsum est, nam potius qualitas ex suo genere est perfectior cum in rebus spiritualibus inveniatur, quod vero in rebus corporalibus, qualitas supponat quantitatem non solum non est indicium analogiæ vt iam dixi, verum etiam non est argumentum, quod quantitas sit perfectior omni corporea qualitate, quia solum supponitur vt conditio quædam necessaria, vel per modum potentiae passivæ, qualitas vero est per modum actus, nihil ergo est quod impediat vnivocationem inter quantitatem, & qualitatem in ratione accidentis completi vt sic.

SUBSECTIO IV.

Argumentum quartum proponitur.

Quarto sic insurgo, quia sicut se habet substantia vt sic ad omnia inferiora, & particulares substantias, ita se habet accidens vt sic ad omnia accidentia inferiora; sed substantia vt sic contracta per differentiam completi sit substantia completa, & per talem contractionem ex analogia sit vnivoca ex non genere sit verum, & proprium genus respectu substantiarum completarum, quia completa est, ac proinde non transcendit differentias earum, quia substantia completa prædicamentalis non potest prædicari de incompletis: ergo similiter accidens vt sic contractum per differentiam completi fiet accidens completum, & per talem contractionem ex analogo fiet vnivocum (cum ex tota illa vniversalitate in qua minutissima, & incompleta accidentia includebantur, retrahatur, & reducatur, vt ita dicam, ad esse minus vniversalis, & ad angustiores terminos, & cancellos, intra quos solum perfecta, & completa accidentia æqualiter, & sine vlla analogia, & per consequens vnivocè participantia rationem accidentis completi reperiuntur inclusa) & ex non genere sit verum, & proprium genus minimum respectu quantitatis, & qualitatis, maximum respectu octo prædicamentorum, tum propter vnivocationem dictam, tum etiam, quia propter suum complementum non transcendit differentias, quæ sunt incompleta.

Hæc consequentia supposita maiori, & minori est evidens à paritate rationis, & præcipue, quia vbi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed in accidente completo minimum respectu quantitatis, & qualitatis datur eadem ratio formalis propter quam substantia completa est genus respectu viventis, & corporis, ergo in accidenti completo dabitur idem effectus, vel quasi effectus formalis, scilicet quod sit genus respectu quantitatis, & qualitatis; minor illa sic probatur, quia tota ratio formalis propter quam substantia completa est genus respectu corporis, & spiritus, est quia est vnivoca, & non transcendit differentias corporis, & spiritus, quia est completa, sed etiam accidens completum proptè abstractum à reali, & modali est vnivocum minimum respectu quantitatis, & qualitatis, & maximum respectu relationis, passionis, &c. ergo habet primam partem rationis formalis propter quam substantia completa est genus. Deinde, quia accidens illud abstractum est completum non transcendit vllò modo differentias illorum prædicamentorum, vt supra late probavimus; ergo datur completa eadem ratio formalis in accidente completo respectu quantitatis, & qualitatis, & reliquorum octo prædicamentorum accidentalium propter quam substantia completa est verum, & proprium genus respectu suorum inferiorum, maior prima, & præcipua est evidens vt ex terminis patet; minor etiam liquet ex probatione minoris nuper dicta.

Dices non posse præscindi accidens completum ab octo prædicamentis.

Sed contra, quia evidenter patet hæc veritas ex illo sepius inculcato, & enucleato principio, videlicet, à quacumque convenientia intrinseca multo-

tum est præcindibilis ratio communis, in qua conveniunt illa, à quibus præcinditur: sed octo prædicamenta conveniunt in esse accidentis completi, siquidem quodcumque ex octo prædicamentis est accidens, & est completum, nam quodcumque ex illis prædicamentis non est ens per se, ac proinde non est substantia, & ex alio capite est ens in alio: ergo est accidens, sed non potest esse incompletum, quia omne prædicamentum fit ex entibus completis: ergo quodcumque ex octo prædicamentis est accidens completum, ac proinde in vnoquoque ex illis prædicamentis datur ratio accidentis completi, & prædicatur de illo: ergo conveniunt omnia illa in ratione accidentis completi: ergo potest abstrahi ab illis ratio accidentis completi. Vergetur, ideo abstrahitur à corpore, & spiritu collocatis in prædicamento substantia completa ut sic, quia conveniunt in ratione substantiæ completæ, & ideo conveniunt in illa, quia sicut spiritus est substantia completa ita corpus, ac per consequens de vnoquoque illorum prædicatur per se substantia completa, sed octo prædicamenta conveniunt simpliciter in ratione accidentis completi, siquidem sicut quantitas est accidens completum ita qualitas, &c. sunt accidentia completa, ratione cuius accidens completum prædicatur essentialiter de vnoquoque illorum: ergo sicut à corpore, & spiritu propter illam rationem convenientiæ abstrahitur ratio communis substantiæ completæ ut sic; ita similiter propter eandem rationem convenientiæ poterit abstrahi ratio communis accidentis completi ab octo prædicamentis.

86 Dices certe præcindi posse accidens completum, sed illud non posse esse genus, quia inter octo prædicamenta dantur accidentia realia, & modalia respectu quorum nihil potest esse genus.

87 Sed contra ad hominem impugno adversarios, nā in vestra sententia qualitas completa ut sic est verum genus prædicamenti qualitatibus, sed per vos sub qualitate ut sic sunt qualitates modales, & reales in prædicamento qualitatibus: ergo bene poterit accidens ut sic completum esse verum genus respectu octo prædicamentorum, etiam si aliqua ex illis prædicamentis sint accidentia modalia; consequentia patet à paritate rationis: maior est certissima, minor in qua est difficultas sic demonstratur, quia sub qualitate ut sic comprehenduntur intellectus, voluntas, & reliquæ potentie tam vegetativæ, & sensitivæ. Item qualitates supernaturales ut sunt gratia sanctificans, & reliquæ virtutes per se infuse species impressæ, & expressæ,

88 quæ vere, & proprie qualitates reales sunt. Item figura, quæ non est res sed modus quantitatis per vos, ut figura circularis, triangularis, &c. sunt sub prædicamento qualitatibus; item densitas, & raritas de quibus multi asserunt esse modos sunt in tali prædicamento, & de hoc omnibus prædicatur qualitas ut sic: ergo sub prædicamento qualitatibus includuntur qualitates reales, & modales, & non obstante tali inclusione, qualitas ut sic est verum genus respectu omnium illarum qualitarum: ergo non obstante inclusione accidentium modalium, & realium completorum poterit esse accidens completum ut sic propterea abstrahit à reali, ut modali vere, & proprie univocum.

89 Quod sic demonstro, quia accidens completum est de essentia qualitatibus, quæ est caput illius prædicamenti: ergo respectu quorum est univo-

ca qualitas est etiam univocum accidens, quia quidquid competit superiori eo modo quo competit illi, competit etiam omnibus inferioribus contentis sub illo, ut v.g. quia animal est univocum respectu hominis, & equi, & substantia est univoca respectu animalis, etiam substantia debet esse univoca respectu hominis, & equi; unde quicunque conceptus communis univocus respectu alicuius superioris, est etiam univocus respectu inferiorum illius superioris; sed accidens completum est univocum essentialiter respectu quantitatis, & qualitatibus: ergo accidens ut sic completum erit univocum respectu omnium inferiorum, qualitatibus, & quantitatis, respectu quorum qualitas, & quantitas sunt univoca, sed qualitas est univoca respectu qualitatum modalium, & realium figuræ, v.g. & frigiditatis: ergo etiam accidens completum poterit esse univocum respectu frigiditatis, & figuræ, quæ sunt accidentia realia, & modalia: ergo etiam poterit esse univocum in ordine ad capita octo prædicamentorum licet sint entia realia, & modalia; siquidem concurrunt respectu illorum omnes conditiones requiritæ ad univocationem conceptus communis; nam accidens completum ut sic est commune, non tantum secundum nomen, sed etiam secundum rationem: sed illa ratio immediate participatur ab omnibus his generibus æqualiter sine ulla attributione: ergo in illa ratione superiori concurrunt omnia necessaria ad univocationem. Consequentia patet ex omnibus supra, & in metaphysica dictis de univocatione entis ut sic; maior est evidens, quia accidens in communi definitur non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem, dicendo est ens in alio completum: ergo. Minor sic probatur, quia talis ratio entis in alio completi non convenit uni generi accidentis per respectum attributionem, & ordinem ad aliud genus accidentis; nam cum Aristoteles dixit, accidens esse entis ens, nomine entis intellexit ens simpliciter quod est substantia, ut omnes intelligunt, ut constat etiam ex 1. metaph. ubi hac ratione dicitur substantia prior definitione accidentis, nunquam autem dixit unum accidens esse prius definitione quam aliud, participant ergo omnia accidentia illam rationem sine ulla ordine inter se: nihil ergo illi deest ad veram univocationem.

Et confirmatur, quia analogata secundaria de 70 finiri solent per ordinem ad primum analogatum, sed quædam genera accidentium, v.g. modalium, nec sub ratione communi accidentis, nec ut talia accidentia, nempe modalia definiuntur per respectum ad aliquod ex dictis generibus accidentium: ergo.

Deinde, quia ut bene adnotat P. Suarez, diversitas modi completi, à re completa in ratione modi, & entitatis non sufficit ad analogiam constituendam, nam quoad hoc eadem est ratio, si vel talia accidentia sint diversorum prædicamentorum, siue eiusdem, ut diximus supra.

Et ratio à priori inquit Suarez est, quia illa 92 diversitas entitatis, & modi ex se non constituit aut habitudinem, aut subordinationem inter omnia illa ut talia sunt in ratione accidentis completi; unde licet unum sit imperfectius alio, non tamen dicitur accidens completum per habitudinem ad aliud, & ideo hoc non satis est ad analogiam eo vel maxime, quod licet modus sit ex suo genere minus perfectus quam res, tamen in particulari aliquis modus potest esse perfectior

perfectior aliqua entitate accidentali, ut videre est in vniione hypostatica respectu frigiditatis, & in modo praesentiae quem habet Christus in Sacramento respectu doloris, &c. illa diversitas perfectionis non semper sufficit ad analogiam constituendam, neque ad tollendam vniocationem sufficientem ad rationem generis, praecipue quando coniungitur talis vniocatio cum non transcendentia.

93 Secundo contra illam solutionem sic insurgo, & supponamus (casu negato) accidens ut sic completum non posse esse genus respectu octo simul praedicamentorum propter rationem quam aduersarij assignant, nempe, quia modi, & res non possunt sub vno genere convenire, certe non possunt negare aduersarij, quin sex praedicamenta modalia, quae sunt sex modi completi inter quos nulla datur res convenient sub vno genere, quod nihil aliud est, quam modus accidentalis completus, seu accidens modale completum, siquidem illud aequaliter participatur ab illis modis sine ordine, habitudine, & attributione vnius ad alium, quae enim attributio, & dependentia causans analogiam potest reperiri inter vbi, & relationem, quae datur identitatis inter Petrum, & Paulum. Item inter situm, & durationem, seu quando, &c. ergo talis conceptus communis est vniocus, & quia non transcendit differentias illorum, ex eo quod illa, quia differentia sunt, sint incompleta, & iste sit conceptus completus, erit verum, & proprium genus; ex alio capite non potest etiam negari quod ens reale simpliciter completum accidentale sit verum genus respectu quantitatis, & qualitatis propter rationes *substitutione superiori* politas: ergo evidenter sequitur distincta praedicamenta non esse ita primo diversa, ut non conveniant in aliquo genere.

SUBSECTIO V.

Cerna oppugnatur.

94 Respondet Cerna tam ens completum quam accidens completum transcendere differentias suorum inferiorum, quia tales differentiae sunt entia, & accidentia completa, quod docet in Logica disp. 3. de secunda operatione, &c. sect. 3. art. 2. per totum. Smigleusius tom. 1. sua Dialectica disp. 7. quaest. 2. §. sed constabit aliquis, vbi sic ait accidens completum praedicatur formaliter de differentiis: nam verum est dicere tale coloratum quatenus est tale per differentiam specificam est accidens.

95 Sed contra, & meo videri evidenter funditus labefactur ista sententia; sic: ergo caput praedicamenti substantiae non est genus; unde non erit caput illius praedicamenti, omnia enim capita praedicamentorum, & praecipue substantiae sunt vera, & propria genera, ut & Cerna, & Smigleusius paulo post supradicta fatentur, & probant; unde aut non erit praedicamentum substantiae, aut erit praedicamentum sine capite, quae sunt absurda maxime monstruosa in eorum, imo & in omnium sententia: ergo absurda erit solutio aduersarij, ex qua illa profluunt inconvenientia.

96 Illa prima consequentia ex suppositione sententiae Cernae & Smigleij sic demonstratur. Per

vos omnes differentiae sunt completa entia, unde differentiae accidentium sunt accidentia completa: sed differentiae substantiarum sunt substantiae, & sunt differentiae: ergo sunt substantiae completae per vos; nam si differentiae imperfectae quales sunt differentiae accidentium ex eo quod differentiae sunt, sunt completae, a fortiori differentiae perfectiores quales sunt differentiae substantiales erunt substantiae completae, praecipue quia ratio completa non est imperfectio ex se: sed potius est perfectio, & ideo reperitur in Deo, & in Angelis, quae sunt perfectissima omnium entia, quod fatetur etiam Cerna in fine art. 2. §. Respondetur. Tunc sic: tunc aliquid non est genus quando illud transcendit differentias suorum inferiorum, ut patet ex supradictis, & ex his verbis ipsius Cernae eodem art. 2. citato, vbi sic ait: patet consequentia, quia solum ratione transcendentiae tam ipse Aristoteles, quam Sanctus Thomas dicunt ens non esse genus, nec posse in compositionem venire cum differentiis, sic ille: sed ex suppositione sententiae quae asserit differentias substantiales, v. g. corporis, & spiritus esse completas, sequitur evidenter substantiam completam transcendere differentias suorum inferiorum: ergo ex suppositione tuae sententiae sequitur substantiam completam, quae est caput praedicamenti substantiae, non esse genus respectu suorum inferiorum.

Minor in qua est tota difficultas sic demonstratur, quia tunc aliquod praedicatum transcendit differentias suorum inferiorum, quando non solum praedicatur directe de inferioribus: sed etiam de eorum differentiis; nam a posteriori evidenter colligimus ens transcendere differentias omnium inferiorum, quia formaliter de omnibus illis praedicatur in his propositionibus, v. g. perfectitas, & inaleitas sunt ens a parte rei, rationalitas, & petreitas sunt ens formaliter, & ratio a priori est, quia id quod praedicatur de aliquo formaliter, formaliter est idem cum illo, & illud formalissime constituit, & in ipso formaliter reperitur constitutive (loquimur enim de praedicato superiori, quod non est in aliquo inferiori nisi constituendo ipsum: ergo si aliquod praedicatum superius praedicatur de differentiis inferiorum formalissime, erit idem formalissime cum illis, in ipsisque erit constituendo ipsas, ac proinde imbibendo se in ipsis: sed hoc est transcendere differentias inferiorum: ergo praedicatum illud superius quod praedicatur formalissime, & directe de differentiis inferiorum transcendit illas, siquidem ita est in inferiori, ut nihil sit inferioris in quo formaliter non reperitur, & imbibatur praedicatum illud superius; sed supposito quod differentiae inferiorum substantiae completae ut sic sunt substantiae completae, substantia completa ut sic praedicatur formaliter de illis: ergo transcendit illas & imbibitur formaliter in illis.

99 Haec minor sic probatur, quia substantia completa ut sic praedicatur de omni substantia completa inferiori, sicut animal de omni animali, ens de omni ente inferiori, sive illud sit differentia, sive species, aut genus, ut tandem sicut vos dicitis accidens completum, & ens completum praedicari formaliter non solum de generibus, & speciebus sibi inferioribus: sed etiam de differentiis eorum, quia non solum genera, & species sunt entia, & accidentia completa: sed etiam differentiae

differentiæ eorum sunt talia, sed non solum genera, & reliqua inferiora substantiæ completæ sunt substantiæ completæ: sed etiam differentiæ eorum sunt substantiæ completæ: ergo substantia completa ut sic non solum prædicatur directe, & formaliter de speciebus, & generibus substantialibus: sed etiam de differentiis eorum.

100 Ergo primo non est genus respectu suorum inferiorum ex eo quod transcendit illa, vel si non obstanti tali transcendentia est genus, etiam ens completum, & accidens completum non obstante transcendentia eorum erunt genera iure, & proprie respectu novem prædicamentorum sibi inferiorum: hæc consequentia patet evidenter à paritate rationis.

101 Videtur licet obscure respondere Cerna §. *Respondeo Arist.* substantiam completam non transcendere differentias, non quia incompletæ sint, sed quia non sunt ponibiles in recta linea prædicamentali. Quare autem rejiciantur à linea prædicamentali directe? hanc causam tribuit *scilicet. 3. de decem lineis, §. sed eodem argumento*, respondetur inquit ideo rejici differentias à recta linea, quia sunt rationes oppositæ sui generis divisiæ, & minime includunt prædicata superiora, nec quidditative subijciuntur illis; sic ille.

102 Quibus verbis docet ideo differentias non transcendere substantiam, quia excluduntur directe à recta linea prædicamentali, & huius exclusionis duplicem aliam rationem tribuit, quarum prima est, quia tales differentiæ sunt oppositæ inter se, & divisiæ sui generis; secunda est, quia tales differentiæ non includunt prædicata superiora; ergo de primo ad ultimum ideo substantia non transcendit differentias, tum quia sunt oppositæ, & divisiæ sui generis, tum quia non includunt prædicata superiora.

103 Sed hæc duæ rationes ita se habent ut prima sit falsa, & secunda sit manifesta petitio principij: ergo solutio quam tribuit Cerna, & innititur his rationibus nullius momenti est.

104 Prima pars huius minoris sic probatur, quia etiam duæ species ut homo, & equus, vivens, & non vivens habent eandem oppositionem inter se ac differentiæ earum, siquidem per ipsas differentias, & per exhibitionem ipsarum in genere causæ formalis dando se ipsas constituuntur tales species in esse oppositarum; item ipsæ species sunt ut quod membra dividentia generis, ac proinde perfectius quam ipsæ differentiæ, & nihilominus falsum, imo, & ridiculum est dicere propter hanc tuam rationem species infimas, & subalternas non esse in recta linea prædicamentali; ergo propter eandem rationem erit falsum, & ridiculum negare tales differentias esse directe in linea prædicamentali.

105 Secundo contra eandem primam partem sic insurgo evidentijs, & clarijs, quia etiam differentiæ prædicamentorum accidentalium, & omnium inferiorum, quæ in talibus prædicamentis constituuntur non sunt in recta linea prædicamentali, quia directe solum sunt genera, & species in illa per te, & sunt oppositæ inter se, & divisiæ sui generis, & nihilominus accidens completum, & ens completum transcendunt illas; ergo similiter substantia completa poterit transcendere differentias suorum inferiorum etiam si ipsæ non sint in recta linea prædicamentali, ex eo quod sint oppositæ, & divisiæ sui generis, patet con-

sequentia à paritate rationis.

Efficacius argumentor, & confirmo dicta: nam ens completum per vos transcendit differentias suorum inferiorum, & ideo per vos non est genus, sed caput prædicamenti substantiæ, & reliqua prædicamenta accidentalium sunt inferiora essentialiter respectu entis completi ut sic: ergo transcendit differentias illorum, & inferiorum istorum, ita ut non solum transcendat perfectitatem, & inaleitatem, sed etiam differentias corporis, & spiritus, &c. quæ sunt inferiora substantiæ, & nihilominus tales differentiæ substantiæ per vos excluduntur à recta linea prædicamentali, quia sunt oppositæ inter se, & divisiæ sui generis; ergo hoc quod est excludi à recta linea prædicamentali, & quod differentiæ opponantur, & dividant genus non impediunt transcendentiam prædicati superioris in differentijs, dum tamen constituat illas differentias, tale prædicatum reperiatur in illis formaliter, imbutur in ipsis, identificetur cum ipsis formaliter, & de eisdem formalissime prædicetur; sed substantia completa ut sic prædicatur de differentijs inferiorum ut supra demonstratum manet: ergo imbutur in illis, ac proinde transcendit illas, quod est synonymum imbibitionis non obstante, quod tales differentiæ excludantur à recta linea prædicamentali, ex eo quod sint oppositæ, & divisiæ sui generis.

Tandem virgo, quia illud de quo directe prædicatur caput prædicamenti directe ponitur in linea prædicamenti, quia idem est poni in recta linea, ac esse subiectum de quo directe affirmatur & cui se communicat directe, & in quod influit directe ut ita dicam artificiale caput illius lineæ; ideo enim species, & genera sunt directe in recta linea prædicamentali, quia caput prædicamenti directe prædicatur de illis, communicatur illis, & influit directe in illa directe constituendo ipsa, ratione cuius subijciuntur illi directe, & formaliter.

Sed substantia completa ut sic, quæ est caput prædicamenti substantiæ directe prædicatur de differentijs substantialibus, directe communicatur illis; ac proinde differentiæ directe subijciuntur illi: ergo supposita vestra sententia directe differentiæ, & quidditative subijciuntur illis: ergo directe sunt in linea prædicamentali substantiæ; minor in qua est sola difficultas sic demonstratur, quia illud à quo abstrahitur aliquod prædicatum superius subijciuntur directe, & quidditative tali prædicato, & illud prædicatum communicatur directe ipsi, & de illo prædicatur formaliter, quia quiddquid abstrahitur ab aliquo est essentialiter constitutum illius, & quod est essentialiter constitutum alicuius primario per se directe constituit illud, quia nihil magis primarium, & directum respectu alicuius, quam essentialiter constitutum ipsius.

Sed substantia completa abstrahitur à differentijs spiritus, & corporis tanquam quidditativum, & essentialiter prædicatum illarum: ergo essentialiter prædicatur de illis, & essentialiter communicatur ipsis, & ipsæ quidditative, & essentialiter subijciuntur illi: ergo directe ponuntur in prædicamento substantiæ; hæc consequentia est evidens, quia ideo in fine tuæ responsionis docebas differentias non poni directe in recta linea prædicamentali, quia tales differentiæ non subijciuntur quidditative prædicatis superioribus.

ribus scilicet substantia completa; atqui ex communicatione essentiali, & constitutione quidditativa, & essentiali substantia completa ut sic, respectu harum differentiarum, colligitur evidenter quidditative, & essentialiter predicari substantiam completam de illis differentiis, ac proinde illas differentias subijci quidditative, & essentialiter illi, predicatum enim, & subiectum sunt correlativa, unde eo modo quo fuerit predicatum est subiectum, & sic impossibile est quod aliquis conceptus predicetur essentialiter de inferioribus, quin talia inferiora subijciantur essentialiter illi.

110 Minor illa sic probatur, quia ab omnibus illis abstrahitur substantia completa, tanquam quidditativum, & essentialiter constitutum illorum, quae essentialiter sunt substantia completa, & essentialiter conveniunt in ratione substantia completa, ut patet ex supradictis; sed differentia illa essentialiter sunt substantia completa, & conveniunt essentialiter in esse substantia completa, essentialiterque in ipsis reperitur tale predicatum; ergo abstrahitur ab illis substantia completa, tanquam quidditativum constitutum illarum, ac proinde predicabitur de illis essentialiter; ideo enim substantia completa praedicatur essentialiter de corpore, & spiritu, de homine, & equo, quia abstrahitur ab illis tanquam predicatum essentialiter illorum; ergo, &c.

111 Imo nulla ratio poterit reddi, aut tribui propter quam iudicet intellectus tales differentias non esse genera, & species, siquidem per vos sunt entia completa, & ut demonstratum manet ponuntur directe in predicamento: sed linea recta praedicamenti componitur ex generibus, & speciebus, & talis linea non componitur nisi ex illis quae directe ponuntur in ipsa: sed differentiae ponuntur in illa: ergo talis linea directe componitur ex differentiis; ergo tales differentiae sunt genera, & species.

112 Neque obstat dicere quando totum aliquod directe ponitur in predicamento non posse directe poni partes illius: atqui differentiae sunt partes specierum: ergo non ponuntur directe in linea praedicamentali ubi directe ponuntur species compositae ex illis.

113 Non enim hoc obstat, quia etiam genus est pars speciei; & quia ex alio capite est totum seu completa entitas directe ponitur in predicamento, ubi ponitur species quae componitur ex ipso: sed per vos licet differentiae component species, nihilominus sunt substantiae, & entia completa: ergo licet component speciem poterunt directe poni in predicamento, ubi ponitur totum ex illis constitutum, & poterunt esse genera, & species, sicut genus licet componat speciem inhumanam est species subalterna, & simul genus.

114 Deinde, quia humanitas componit hominem, qui est directe in predicamento, & nihilominus, quia est completa substantia essentialiter ponitur in eodem predicamento directe, in quo ponitur homo compositum ab ipsa, ut ex dicendis quaest. sequenti videbitur; ergo similiter in nostro casu.

115 Contra secundam rationem, quam tribuit Cerna sic insurgo, & probo evidenter id, quod supra promisi, quia nihil aliud est petitio principij nisi reddere pro ratione conclusionis ipsam.

R. P. I. deph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

conclusionem quam impugnamus vocabulis synonymis; v. g. si tu diceres clavem hanc esse enssem, & quaterem a te quare clavis est ensis, & tu diceres, quia est gladius, certe petitionem principij evidentem committeres; atqui in tua conclusionem asseris substantiam completam non transcendere differentias, etiam si doceas esse substantias completas, & interrogatus quare non transcendat illas? reddis pro ratione non transcendentiae tuam ipsam conclusionem sub alio synonymo, id est, non transcendentiam ipsam sub synonymo non inclusionis, ac si diceres ideo non transcendit, quia non includitur, quod est idem per idem explicare: ergo evidentem petitionem principij committis; nam si quaram a te, quid significet hoc verbum, non includitur in differentiis; sine dubio si rudimenta grammaticae, & Dialecticae calleas, cogeres dicere idem significare ac verbum, non transcendendo; ergo pro ratione non transcendentiae reddis ipsam non transcendentiam sub alijs vocabulis synonymis: ergo reddis pro ratione conclusionis ipsam conclusionem: ergo.

SVBSECTIO VI.

Aliorum commenta diluuntur.

Tandem aliqui neoterici respondent, dicendo in ratione accidentis nihil esse completum, quia ratio accidentis imperfecta valde est, & talis ut integre servetur in quolibet minimo accidente.

Sed contra manifeste, quia si quantitas, qualitas, &c. sunt incompleta: ergo non sunt propriae ac vere genera, nec sunt in recta linea praedicamenti. Patet consequentia, quia genera, & species, ex quibus componuntur praedicamenta necessario sunt completa in eo ordine, genera enim & species petunt necessario habere totalitatem ut respectu suorum praedicatorum, quibus intrinsece, & essentialiter constituuntur, sunt totum actuale, & respectu suorum inferiorum sunt totum potentiale, animal enim quatenus vivens sensibile, in ipso est totum actuale, & completa entitas, & idem est de homine quatenus est animal rationale; animal vero, & homo si comparantur, illud ad equum, & leonem, hic ad Petrum, & Paulum, sunt totum potentiale, de quo supra latissime disputatio de genere, de quo nullus hucusque dubitavit; sed per vos quantitas, qualitas, & cetera praedicamenta sunt accidentia omnino incompleta; ergo minime sunt genera, & species, ac proinde nulla praedicamenta ex eis componentur, & sic non dabuntur novem praedicamenta accidentium: sed solum unum praedicamentum substantiae videlicet, quae sunt manifesta absurda; ergo absurdum est id ex quo haec absurda sequuntur, videlicet docere nullum accidentis esse completum in esse accidentis.

Secundo, quasi a priori sic demonstratur haec veritas, quia solum ratio partis essentialis alicuius totius essentialis per se tollit rationem completam in eo, quod est pars talis compositi: sed sunt multa accidentia, quae non sunt partes essentielles, & per se alicuius entis per se essentialis: ergo multa accidentia sunt completa in genere accidentis: maior est certa, minor sic probatur.

V v

batut

522 Disp. VIII. De Antepredicamentis.

batur, nam intellectus, & voluntas in anima, relatio in vno Angelo ad alium, vbi in Christo Domino sunt vera accidentia, & non ordinantur ad componendum aliquid in genere accidentis quod sit ens per se essentialiter: ergo hæc omnia accidentia non sunt incompleta: sed completa in genere accidentis.

119 Neque obstat dicere quod componunt cum substantijs concretis, ac proinde debent esse incompleta.

120 Non enim hoc obstat, quia multa sunt accidentia quæ non componunt vt partes: sed tantum quasi terminum efficiunt proprium, v. g. actio quæ conservat Deus species sacramentales extra substantiam, non vnitur vt pars cum speciebus sacramentalibus, neque existit in illis vt in subiecto inhæfionis: sed tantum attingit illas terminative, qui modus attingendi non indicat esse incompletum in sic terminante, nam Verbum divinum terminat iure, & proprie, & intrinsece vnitur humanitati, ac per consequens componit cum illa Christum, & nihilominus Verbum divinum non est incompletum, quia non componit vt causa materialis, vel vt propria causa formalis. Et idem est de productione Angeli, quæ tantum attingit illum vt terminum, & licet constituat illum intrinsece in esse creati, nihilominus non componit vt causa materialis, vel vt propria causa formalis: ergo non est incompleta talis actio in esse accidentis prædicamentalis: ergo saltem hæc accidentia constituent prædicamenta completa, vt vera genera.

121 Urgetur amplius, quia humanitas Petri componit cum suppositualitate Petri suppositum, & nihilominus humanitas non est incompleta essentialiter: sed potius essentialiter, & per se completa, quia licet suppositum sit vnum ens per se substantiale, non tamen est vnum ens per se essentialiter, aut essentialiter eo modo quo humanitas est vnum ens per se: sed concretum quod resultat, aut componitur ex accidenti, & substantia est minus per se quam suppositum substantiale; vnde absolute potius ens per accidens ab adversarijs dicitur, quam ens per se, & certum est apud omnes non esse essentialiter vnum ens per se: ergo accidens quod componit illud non erit incompletum: sed potius completum essentialiter in esse accidentis.

122 Præterea, quia accidentia si inhaerent substantiæ non est primario vt componant aliquid per se accidens: sed potius vt mediante inhaerentia conserventur, sine qua naturaliter non possent conservari; etiam si sint completa propter dependentiam quam habent à substantia, quæ de dependentia in conservari ab alio non indicat incomplementum in eo quod sic dependet, nam Angelus est maxime completus essentialiter, & nihilominus non posset conservari sine suppositualitate propria, cui vnitur natura Angeli vt sustentetur, & conservetur, & quod magis est non posset conservari sine multis accidentibus, vt v. g. sine intellectu, voluntate, & reliquis passionibus, & proprietatibus, & quod certum est sine conservatione à Deo à qua dependet, & nihilominus talis dependentia, vel indigentia respectu substantiæ, intellectus, conservatio non arguit incomplementum in natura Angelica.

123 Ergo similiter dependentia quam habet accidens à substantia, cui vnitur vt sustentetur, &

conservetur, non arguit, nec potest indicare esse incompletum, quia talis inhaerentia ad substantiam facit id, quod substantia respectu naturæ, quia sicut substantia sustentat naturam, ita substantia cui vnitur accidens sustentat ipsum: ergo sicut vno ad substantiam non arguit incomplementum essentialiter in natura Angelica, quæ sustentatur, & conservatur à tali substantia, ita similiter vno accidentis ad substantiam nullo modo indicabit esse incompletum accidens, quia talis vno non est vnio partis ad partem per se essentialiter: sed potius vnio totius essentialiter completi in esse accidentis, imperferri tamen debilis, & tenuis ad aliud totum completum essentialiter perfectius illo, vt sustentet ipsum, & non primario, & per se vt componat cum illo.

Ratio autem à priori horum est, quia actualis 124 inhæfio, quam dicit accidens vt vnatur subiecto, solum est quidam modus formæ accidentalis, qui non complet illam essentialiter in ratione accidentis; vnde non potest dubitari, quin quantitas separata à substantia panis in Eucharistia sit accidens essentialiter completum; vnde complementum, vel incomplementum accidentis non debet venari ex inhaerentia; sed ex alijs; quæ in hunc modum explicantur à P. Suarez, qui mirifice hoc negotium explicat his verbis: Incompletum ergo accidens distinguendum est à completo, tam in concreto quam in abstracto; vtrique enim ratio potest in vtroque membro reperiri, tamen quia in abstractis concipitur (vt ita dicam) magis pura, ac præcisa ratio accidentis in eis explicandum est vtrumque membrum, facile enim deinde poterit ad concreta applicari. Completum ergo accidens dicitur, quod in ratione formæ accidentalis est integra, ac totalis formæ; incompletum vero accidens dicitur, quod habet rationem partis respectu completi. Quæ explicatio patet, tum ex proprietate terminorum, tum ex proprietate sumpta ad substantiam completam, & incompletam, quas supra hoc modo declaravimus, nam sicut substantia in suo ordine comparatur ad totum, & partem, ita, & accidens in ordine suo. Ex quo fit sicut substantia potest esse completa, vel incompleta physice, aut metaphysice, ita etiam accidens, dicitur autem accidens physice completum, quod neque est, neque ex se ordinatur vt componat per se aliud accidens, quia tunc vere habet rationem totius, seu integri accidentis.

Dico autem non debere ordinari ad componendum aliud accidens, quia licet ordinetur ad componendum cum substantia vnum compositum, hoc non tollit rationem accidentis completi, eo quod illud compositum non sit verum accidens. Adde quod licet interdum vnum accidens ordinetur ad actuandum, vel recipiendum aliud, vt v. g. potentia ad actum, & actus ad potentiam, nihilominus hoc non impedit, quin vtrumque esse possit accidens completum, quia vtrumque in ratione sua habet integram speciem, & non componit cum alio vnum per se: sed tantum per accidens. Erit ergo accidens physice incompletum est illud, quod physice componit, seu integrat aliquid accidens per se vnum, vt partes, v. g. quantitatis continuæ, quando sunt in continuo, tantum sunt incompleta accidentia; gradus etiam intensiōis eiusdem caloris potest

potest dici accidens incompletum physice, & punctum potest dici natura sua incompletum accidens. Quo fit ut idem accidens secundum diversas rationes possit dici completum & incompletum; ut communiter censetur de linea, vel superficie, nam quatenus habet propriam extensionem est quantitas completa, quatenus vero est vinculum, aut terminus alterius quantitatis censetur incompleta, & eadem qualitas inchoata, seu in gradu remisso est essentialiter completa, entitatively autem seu intensive est incompleta: motus etiam quatenus est ipsemet terminus in fieri censetur quid incompletum, tamen propterea passio subiecti seu mobilis habet completam quandam rationem accidentis, & suum constituit praedicamentum.

Metaphysice dicitur accidens completum illud quod habet integram essentiam alicuius accidentis, & ideo dicendum est genera omnia quae ponuntur in linea recta, alicuius praedicamenti accidentis esse accidentia completa; quod ex ipso modo concipiendi, & significandi patet, quantitas enim, calor, habitus, & similia concipiuntur, & significantur ut integrae formae accidentales, sive sub generali ratione, sive sub specifica concipiuntur, quia vel expresse, vel implicite dicunt totam formam, seu totam essentiam eius, & per modum totius in quo est magnum discrimen inter differentiam, & genus, nam differentia semper significatur per modum partis saltem quoad formale significatum eius; proprie igitur accidentia incompleta metaphysice sunt differentiae accidentium, & genera si praefuse sumantur ut partes, non vero absolute sumpta.

125 Tandem, licet quantitas, & qualitas, &c. sint incompleta, minus incompleta accidentia sunt, quam inhaerentia, & quam differentia metaphysice eorum, sicut v.g. forma substantialis rationalis, licet sit incompleta, non est ita incompleta, sicut est sua unio, & sua differentia metaphysica: ergo similiter, licet quantitas, & qualitas sint incompleta accidentia, non erunt tam incompleta sicut uniones illarum, & differentia metaphysicae per quas constituuntur. Tunc sic, ab omnibus conveniuntibus in aliqua ratione simpliciter potest abstrahi illa ratio communis in qua conveniunt: sed quantitas, & qualitas quatenus sunt constituta per suas differentias, & in quantum distinguuntur a suis inhaerentibus, & unionibus, sunt minus incompleta accidentia, quam inhaerentia, & differentia, ac proinde conveniunt essentialiter in ratione minus incompleta, seu in accidente minus incompleto; ergo accidens minus incompletum potest abstrahi a quantitate, & qualitate, &c. sed illud est univocum, quia aequaliter participatur a quantitate, & qualitate, quod patet ex supradictis, & ex alio capite illud non transcendit differentias quantitatis, & qualitatis, quia illae differentiae non habent rationem minus incompleti quam habent quantitas, & qualitas, & accidens illud, quod abstrahitur ab illis, unde potius datur in differentijs negatio illius minoris incompleti, ex eo quod magis incompletae sint differentiae quantitatis, & qualitatis, quam ipsae; ergo tale accidens minus incompletum est genus respectu quantitatis, & qualitatis.

126 Quod efficacius urgeo, quia quantitas, & qualitas per vos sunt vera genera, licet sint accidentia incompleta, & hoc non potest esse propter aliam rationem, nisi quia sunt univoca respectu
R.P. Ideph. de Penafiel. Theol. Schol. Tom. I.

suorum inferiorum, & non transcendunt differentias eorum (ex eo quod licet sint incompleta accidentia, habent tamen minus incompleti quam differentiae earum, ac proinde non possunt praedicari formaliter de talibus differentijs; ex quo manifeste colligitur ut supra diximus, rationem superiorem non transcendere differentias inferiorum; nam si quantitas, & qualitas transcederent differentias suorum inferiorum, nullo modo essent vera genera; itaque incomplementum quantitatis, & qualitatis in esse accidentis non tollit in quantitate, & qualitate esse generis propter aliam illam rationem minus incompleti, quam habent, & non reperitur in differentijs; nam si quantitas, & qualitas tam incompleta accidentia essent, ac differentiae inferiorum, non minus praedicarentur de differentijs suorum inferiorum, quam de suis inferioribus constitutis per tales differentias, sicut ens non minus praedicatur de inferioribus entibus, quam de differentijs eorum; quia in ratione entis non habent magis, & minus, sed in ratione quantitatis, & accidentis incompleti non sunt magis completa inferiora, seu ut melius loquar, non sunt minus incompleta, quam differentia per quas constituuntur, ac proinde non habent magis, & minus in esse quantitatis, & accidentis: ergo quantitas ut sic, & qualitas ut sic non minus directe praedicantur de suis inferioribus, quam de differentijs eorum: ergo quantitas, & qualitas ex suppositione quod dicitis transcendunt differentias suorum inferiorum, ac proinde non erunt genera respectu illorum: sed sunt vera genera: ergo ideo est, quia non transcendunt differentias ex eo quod detur aliquod praedicatum in quantitate, & qualitate, quod impediatur ut quantitas, & qualitas imbibantur in differentijs transcendant illas, constituent ipsas formalissime, ac proinde ratione illius de illis formalissime directe praedicantur: contra vero, quod non solum non impediatur, sed potius conducat ad hoc quod quantitas, & qualitas praedicantur de suis inferioribus constitutis per differentias, quia talia inferiora sunt similia in illo praedicato, (quo carent differentiae per quas constituuntur) quantitati, & qualitati ut sic, quod nullum aliud potest esse supposito, & casu negato, quod quantitas, & qualitas sint incompletae nisi habere esse minus incompletum, quam differentiae propriae, & differentiae inferiorum.

Tunc sic, accidens illud modale, quod abstrahitur a sex praedicamentis intrinsecis, quatenus sunt modi minus incompleti quam differentiae propriae, & accidens reale simpliciter, quod abstrahitur a quantitate, & qualitate, ita se habent, ut illud sit accidens modale minus incompletum, quam differentiae modorum, & hoc est accidens reale simpliciter minus incompletum, quam differentiae quantitatis, & qualitatis, & aequaliter, ac univocae praedicatur de illis, ac ratione illius minoris incompleti utrumque non transcendit differentias suorum inferiorum.

Ergo non obstant tali incomplemento, sine fundamento ficto ab adversariis erit utrumque vere genus respectu octo praedicamentorum, cum distributione accommodata, ita ut illud sit verum genus respectu sex, & hoc respectu duorum.

Ergo ex omnibus dictis in hac sessione, evidenter colligitur praedicamenta non esse ita primo diversa ut non conveniant, & contineantur sub
V v v 2 aliquo

aliquo vel aliquibus generibus illis superiori-
bus, quæ de illis directe, & formaliter prædi-
centur.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversaria solvuntur.

130 **A**D locum Aristotelis respondeo non esse contra nos, nunquam enim dixit Aristoteles prædicamenta esse ita summa genera ut alia superiora seipsis non haberent, sed potius, ut patet ex supradictis, concessit eis convenientiam in alijs superioribus generibus, solum enim asseruit Aristoteles capita prædicamentorum esse summa genera, unumquodque in suo ordine; ex quo non debet colligi negasse Philosophum habere alia sibi superiora genera, ut patet ex ipsis terminis, & idem respondeo ad locum Porphyrij, de cuius Auctoritate non multum curandum, quia in multis incidit errores circa res metaphysicas, nec mirum si quidem densissimis ignorantia tenebris involutus a fulgentissimo, & splendidissimo fidei Christianæ, & Catholice luminis splendore utpote iniquus, & miserrimus Apostata ad obscurissimam Ethnicorum noctem, & somnia chymærica miserandum immodum deviauit, & à veritatis tramite deflexit.

131 Ad secundum argumentum negamus, quod in nostra sententia non possit dari congruens aliqua ratio propter quam omnia prædicamenta in decem partiantur, & dividantur, nisi omnia membra sint summa genera; nam licet non sint talia, ac proinde habeant supra se alia summa genera, nihilominus recte assignata sunt decem quasi capita, quæ prædicamentorum nomine insigniuntur, sub quibus contineantur omnia entia particularia, & ad quæ illa miro ordine redigantur ut supra questione præcedenti latius diximus, quia illa divisio data est, ut res omnes ad certas classes, & sedes artificiosas reducantur, ut facilius, & clarius cum distinctione rerum naturas cognoscamus, distinguendo substantiam ab accidentibus, & accidentia inter se, ad quod non satis fuisset distinctio per duo vel tria membra minus per unum etiam si illa esset possibilis, & de facto detur, & ideo oportuit in accidentibus ea genera distinguere, quæ dicunt diversas habitudines ad substantiam, nihil curando de convenientia confusa in superiori aliquo genere.

132 Accedit quod apud Aristotelem ut probavimus in conclusione clare invenimus, aut omnia, aut aliqua prædicamenta habere supra se genera, neque in alijs locis unquam negavit diversa prædicamenta in aliquo genere convenire, nam in loco ad aliquibus citato ad huius rei fidem faciendam ex octavo metaph. text. ultimo, solum ait ens non poni in definitionibus primorum generum, & consequenter non esse genus, quod etiam nos libenter fatemur de ente ut sic sub illa universalissima acceptione sumpto, negamus tamen de ente completo intrinseco, quia ut supra probavimus est verum genus, neque Aristoteles de hoc negavit unquam rationem generis.

133 In libro autem 10, cap. 5, dicit ea, quæ differunt prædicamentis, differre quidem figura, & genere, tamen idem dixit de corruptibili, & incorruptibili, & nihilominus non propterea excluditur à corruptibili, & incorruptibili com-

mune genus logicum; ergo similiter in nostro casu. Neque ex hoc aliquam vim habet argumentum, contra divisiones decem prædicamentorum, quia talis divisio non est facta propter carentiam superioris generis, quia illius nulla datur: sed potius iniuncta est ad penetrandas rerum essentias, quæ melius, clarius, & evidentius sine aliqua confusione, & obscuritate cognoscuntur, quando ad præcipua capita, & principaliora, seu capitalia genera ad quæ cætera omnia facile redigi possunt, reducuntur, quam si ad unum, vel ad duo, aut solum tria ut iam dixi universalissima, ac summa rerum genera redigerentur, quia in tanta universalitate, & confusione tenebris offunderetur studentium mens sine dubitatione, ad quod denarius numerus à sanctis PP. & Doctoribus maxime, & iure optimo commendatur, quo divisio generum superiorum ac proinde rerum omnium creaturarum facile consumatur, ac pericitur.

Exemplis manifestis declaratur hoc, Deus qui 134 decem legis mandata Decalogi numero denario divisit, & quasi ad decem capita redegit, optime noverat ad duo posse reduci, eo modo quo reducuntur ab Ecclesia dum dicitur, hæc decem mandata reducuntur ad duo ad amorem Dei, & amorem proximorum, ratione cuius dixit Christus Dominus *Matthæi* 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc est maximum, & primum mandatum; secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum: in his duobus mandatis universa lex pendet, & propheta, quod etiam docuit *Lucæ* 20. 41. & nihilominus, ut celestis magister apte, clare, & cum distinctione doceret omnia præcepta legis, ad 10. capita reduxit tamen ad principaliora omnium, quo, & distinctioni, & claritati, ac Doctrinæ facilitati consuluit, ratione cuius in brevi numeri denari his finibus accommodati circulo cuncta conclusit quæ ad salutem omnium hominum pertinebant: ergo similiter licet possent prædicamenta ad unum summum genus vel ad duo, vel denique saltem ad tria reduci, nihilominus ut claritati, & perfectioni doctrinæ disciplinæque utilitati, ac facilitati consuleretur, omnes rerum naturas ad decem capita æquo iure redigendas curarunt Philosophi.

Item bene poterat Ecclesia sine dubio, omnes 135 articulos fidei ad unum articulum fidei ut sic solum reducere, cum certum sit omnes articulos fidei metaphysice convenire in tali ratione articuli ut sic, vel saltem poterat ad duos, ad articulum nimirum ut sic circa humanitatem, qui septem circa illam vel ad illam pertinentes comprehendit, & ad articulum ut sic circa divinitatem, qui sub se comprehendit alios septem de divinitate agentes, & nihilominus ad 14. reduxit tanquam ad principaliora capita, quo clarius distinctius, & facilius comprehensione illorum mirabilique doctrina fidelium mentes informaret: ergo similiter in nostro casu contingit. Præterea, nam qui prædicamenta invenientes voluerunt imprimis ostendere omnes modos reales afficiendi, & denominandi primam substantiam, neque enim de omni substantia agere voluerunt, sed solum de ea quæ est subiecta accidentibus, cæteri cum in rebus videret varias res coniunctas in unum, nempe varia accidentia in vno individuo substantiali copulari, ut de ijs rebus apte disputarent omnia numero

numero denario concluderunt propter rationes supradictas.

136 Ad illud autem quod solet opponi, cur scilicet sint novem prædicamenta accidentium, cum tantum sit vnum substantiæ?

137 Respondeo cum communi Doctorum id non esse mirum, magis enim multiplicatur accidentia, quam essentia rerum quæ substantiæ dicuntur; nam vni substantiæ correspondent quam plurima accidentia in ipsaque plura, ac varia inveniuntur accidentia. Præterea, quia in substantia vt sic est vnus modus efficiendi, & denominandi primam substantiam, nempe in quid, in accidentibus autem est multiplex, & ideo æquum est vt sit vnum prædicamentum substantiæ, accidentium vero plura.

138 Ad illam rationem à priori nego quod modus contractionis, vel determinationis entis completi, aut accidentis completi ad suprema capita prædicamentorum non sit per veram compositionem cum differentijs quæ possunt esse extra rationem generis, certe enim ens completum, & accidens completum descendit ad prædicamenta sine transcendentia in differentijs eorum, vt patet ex supradictis, ac proinde talis descensus est per veram contractionem, & compositionem, quia inferiora addunt supra ens, & accidens completum veras, & proprias differentias distinctione excludentis ab exclusio distinctas; unde talia supetiora prædicata vere descendunt vt generaliter ens vt sic, & accidens vt sic provt abstrahit à completo, & incompleto taliter non descendant, siquidem transcendunt differentias ultimas inferiorum; quapropter ex eo solum, quod ens vt sic, & accidens vt sic non contrahantur ad suprema capita prædicamentorum per veram contractionem, & compositionem metaphysicam, non ideo debet negari talis contractio, & compositio de ente completo, & accidente completo, ac per consequens debet concedi illis ratio generis.

139 Ad tertium, primo nego maiorem vt patet ex dictis in metaphysica, secundo demus maiorem, & concedamus minorem simul cum consequentia illius primi syllogismi; nego tamen absolute secundam minorem, nam inter ens, & decem prædicamenta mediant ens completum, & accidens completum vt patet ex dictis.

140 Ad vltimum contra, nego quod ens sit analogum, & idem dicimus de accidente vt sic intrinseco respectu suorum inferiorum.



QVÆSTIO III.

Vtrum substantia, & accidens ponantur in prædicamento in abstracto vel in concreto.

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

PRIMA Sententia asserit substantiam in abstracto non poni directe, sed solum indirecte in prædicamento, huius sententia Patronus est P. Suarez in metaphysica, tom. 2.

disposit. 34. sect. 8. num. 12. vbi his verbis propriam mentem profert; cetera vero omnia quæ primam aut secundam substantiam componunt physice, aut metaphysice revocantur ad prædicamentum substantiæ, non tamen constituuntur in recta linea; ratio huius est, quia non sunt completa substantiæ (& paulo post) huiusmodi autem sunt imprimis ipsæ naturæ substantiales, provt in abstracto significantur, & concipiuntur; nam licet hæc possint inter se concipi cum subordinatione, & quasi constituendo suam lineam proportionatam illi, quæ ex primis, & secundis substantijs constituitur (sic enim concipitur hæc humanitas, & supra illam humanitas, & supra hanc naturam animalis, vsque ad substantialem naturam) tamen tota hæc linea, & series est secundum quid substantia, & ideo tantum secundum quid, seu per reductionem pertinet ad illud prædicamentum, & vnumquodque ex illis abstractis ad suum proportionale concretum revocatur, id est, hæc humanitas ad hunc hominem, humanitas ad hominem, & sic de reliquis. Vnde consequenter fit vt alterum etiam extremum huius compositionis, scilicet substantia vel singulariter, vel vniuersè concepta non possit directe in hoc prædicamento collocari, quia multo minus est completa substantia quam ipsa natura, reducit tamen ad eadem composita cum prædicta proportionem, nam componentia ipsa ad suum compositum revocanda sunt. Atque idem iudicium est de partibus essentialibus substantiæ compositæ, quales sunt materia, & forma, in quibus etiam potest intellectus suas lineas constituere, & maxime informis, quas possumus vel in individuo concipere, vel in specie, & à formis specie diversis possumus etiam conceptum genericum abstrahere, qualis est conceptus formæ elementaris, vel animæ sensitivæ, & in materia potest facile aliquid simile excogitari, præcipue si verum est dari materias specie diversas, quas in generica ratione materiæ convenire necesse est; verum tamen tota hæc coordinatio est secundum quid, & per reductionem respectu prædicamenti substantiæ, quia nec materia nec forma est completa substantia, neque individua earum sunt primæ substantiæ, aut hoc aliquid vt sumitur etiam ex Aristotele 2. de anima, cap. 1. & 7. metaphysica, cap. 3. sic P. Suarez, eandem sententiam sequuntur Cerna, Rubius, Sanchez, Balera, & alij, & probatur.

Primo, quia si in prædicamento ponantur substantiæ abstractæ, erunt duo prædicamenta substantiæ, sed hoc est absurdum, cum solum sit vnum tale prædicamentum; ergo non ponuntur substantiæ abstractæ in prædicamento; maior probatur, supponendo quod prædicamentum substantiæ sit ex concretis, vt ex homine, animali, &c. quo supposito sic argumentor, quia prædicamentum est prædicabile coordinatio, sed non possunt vnica coordinatione coordinari abstracta, & concreta; ergo nec possunt vnum prædicamentum constituere, quod si constituunt illud, diversum erit à prædicamento concretorum; unde vnum concretum, & alterum abstractum duo erunt sine dubio, quia vnum, & vnum duo sunt.

Secundo, quia prædicamentum est coordinatio generum, & specierum, sed abstracta non possunt esse genera, & species; ergo ex abstractis non potest coordinari prædicamentum; minor sic probatur, quia abstractum superius vt animalitas, quæ